Cornelii Nepotis

liber

de excellentibus ducibus exterarum gentium

in usum scholarum dispositus et emendatus

ex

Justino, Cicerone, Frontino

aliisque scriptoribus Romanis suppletus

et

Curtii Rufi

historiae Alexandri Magni

in breviorem narrationem coactae.

Edidit

J. Lattmann Dr.

Achte verbesserte Auflage.

Mit drei Karten.

(Des Lateinischen Lesebuchs von Lattmann 2. Teil.)

Göttingen,

Vandenhoeck & Ruprecht's Verlag.

1889.

Vorrede zur siebenten und achten Auflage.

Die Vorrede zur fünften Auflage gab Auskunft über das Verhältnis meiner Bearbeitung des Cornelius Nepos zu denen anderer. Da der hauptsächlichste Teil derselben in das Clausthaler Programm 1882 „Die Combination der methodischen Prinzipien im lateinischen Unterrichte" (Abdruck bei Vandenhoeck und Ruprecht in Göttingen) aufgenommen ist, wird sie hier nicht wiederholt. Dieser Cornelius Nepos emendatus et suppletus erschien zuerst als Separatabdruck des zweiten Teiles meines lateinischen Lesebuches. Da er auch in dieser Absonderung eine weite Verbreitung gefunden hat, muß er jetzt als besonderes Buch ausgegeben werden. Für diejenigen, welche das frühere ganze Lesebuch benutzen, wird der erste Teil in siebenter Auflage, mit dem zweiten zusammen unter dem Gesamttitel „Lateinisches Lesebuch für Sexta bis Untertertia" ausgegeben. Das Lexikon ist auch für den ersten Teil des Lesebuchs brauchbar geblieben. Außerdem ist aber der erste Teil auch in einer neuen Bearbeitung als „Lateinisches Lesebuch für Quinta" erschienen, welches mit besonderem Lexikon und Anmerkungeu versehen ist.

Die Landkarten enthalten nur diejenigen Namen, welche in diesem Buche vorkommen. — Die „Res gestae" sind lateinisch abgefaßt, soweit sie aus diesem Buche und aus dem Lesebuche für Quinta entnommen sind, also vollständig für die griechische Geschichte. Damit aber auch der Unterricht in der römischen Geschichte in Quarta an diese Tabellen angeschlossen werden könne (vgl. Programm S. 37 ff.), sind diejenigen Partien, welche in dem lateinischen Lesestoffe nicht vorkommen, in deutscher Sprache hinzugefügt. Diese Geschichtstabellen sollen also das geschichtliche Lehrbuch ersetzen und so mehr dahin führen, daß der Inhalt der latein. Lektüre für den Geschichtsunterricht verwertet werde. „Der lat. Unterricht muß lebendiger und geschichtlicher werden". E. Curtius.

Da das Buch zugleich ein Glied in dem Complexe meiner Schulbücher für den lateinischen Unterricht bildet, mußte ich es der allgemeinen Umarbeitung derselben auch noch weiter accommodieren vermittelst der hinzugefügten Anmerkungen. Um jedoch eine Benutzung in seiner bisherigen Gestalt nicht zu beeinträchtigen, sind diese Anmerkungen separat gedruckt und auch separat käuflich. Die in den Text eingesetzten Zahlen sind so unscheinbar, daß sie einem Gebrauche des Buches ohne Rücksichtnahme auf dieselben keinen nennenswerten Eintrag thun können. 1883.

In der Verkürzung des Textes und in der Verbesserung und Vereinfachung der Sprache bin ich in dieser achten Auflage weiter vorgeschritten. Infolge eines zu weit gehenden Strebens nach geschichtlicher Vollständigkeit waren einige Stücke und Abschnitte aufgenommen, welche sowohl ihrem Inhalte nach, als auch sprachlich sich als nicht recht geeignet erwiesen. Es sind deshalb getilgt: Die Einleitung zum zweiten Perserkriege, Pericles, Xenophon, Origo regni Macedonici, De origine . .

Carthaginiensium. Dagegen sind vorn hinzugefügt Lycurgus und Solo, Pisistratus. Dieselben sind aus dem ersten Teile des ganzen „Lesebuches“ hierher gerückt, weil sie für Quinta zu schwierig waren; sie dem Nepos.. suppletus hinzuzufügen erschien zweckmäßig, weil sie in die geschichtliche Zeit der Griechen einführen und gleichsam die Grundlage des dieselbe durchziehenden Gegensatzes von Sparta und Athen darbieten. Sie haben aber auch in sprachlicher Beziehung einen hervorragenden Wert, weil sie größtenteils aus Cicero entnommen sind und eine Menge der vortrefflichsten loci memoriales enthalten.

Die Darlegung der in den Anmerkungen verfolgten Prinzipien und methodischen Absichten ist jetzt der an diese achte Auflage sich anschließenden Neubearbeitung derselben als eine ausführlichere Vorrede hinzugefügt, welche auf Wunsch an Lehrer gratis abgegeben wird. Ich bitte diejenigen, welche das Buch, aber nicht die frühere Ausgabe der Anmerkungen benutzt haben, die Umarbeitung derselben zu prüfen; ich hoffe, daß sie in ihrer neuen Gestalt auch für Anstalten, an denen meine anderen Schulbücher nicht eingeführt sind, als brauchbar und förderlich erscheinen werden.

Die Verbesserungen der Sprache werden durch einen Stern am Rande bemerklich gemacht. Da sie meistens nur ein einzelnes Wort oder wenige Wörter treffen, werden die Schüler selbst den Text der älteren Auflage nach der neuen verbessern können. Stärkere Änderungen, namentlich Auslassungen, sind mit zwei Sternen bezeichnet.

Wenn diese Auflage (ebenso wie schon die siebente) freier von Druckfehlern ist, als die früheren, so habe ich das hauptsächlich der gefälligen Hülfe meines Kollegen des Oberlehrers Dr. Wrampelmeyer zu danken.

Druckfehler s. S. 220. **J. Lattmann.**

Inhalt.

I. Historiae Graecae.

1. Lycurgus.

1. Anno fere octogesimo post Trojam captam[1], Atrīdae Achaeorum reges, qui omni hoc tempore, pulsis Heraclīdis, Peloponnesi[2] imperium obtinuerant, ab iisdem[3] Heraclidis, Doriensium[4] principibus, expelluntur. Duces recuperandi imperii[5] fuerunt Temenus, Cresphontes, Aristodēmus, quorum abavus fuerat Hercules. Hi regna sorte inter se diviserunt. Temenus * Argos sortitus est, Cresphontes Messēniam, Lacedaemonem Aristodēmi filii gemini, Eurysthenes et Procles. Inde Lacedaemonii duos semper habebant reges ex duabus familiis Proclis et Eurysthenis.

Tum Graecia maximis concussa est motibus[6]. Achaei ex Lacōnica pulsi eas occupaverunt sedes, quas nunc obtinent; Pelasgi Athenas commigraverunt.

Subsequenti tempore magna vis[7] Graecae juventutis, abundantiā * virium[8] sedes quaerens, in Asiam se effudit. Nam Iōnes, duce Iōne[9] profecti Athenis[10], optimam partem regionis * maritimae occupaverunt, quae hodie appellatur Ionia, urbesque condiderunt duodecim, in his[11] Milētum, Ephesum, Colophōna, Myunta, quae olim aquā est devorata, Priēnen, Clazomenas, Samum, Chium[12]. Ad quas postea addita est * Smyrna, Aeoliorum colonia, patria Homēri, cujus[13] delūbrum Smyrnaei in oppido dedicaverunt. Praeterea in Aegaeo mari insulas Iones occupaverunt, quas Cycladas vocabant, quarum nobilissimae sunt Andros, Paros, Dēlos[12].

Aeolii, ex eadem[14] profecti Graecia, longissimisque acti erro- *

ribus non minus illustres obtinuerunt locos clarasque urbes * condiderunt: Smyrnam, Cȳmen, in Lesbo insula Mytilēnēn urbem et natura et situ et descriptione aedificiorum et pulchritudine imprimis nobilem, in agro jucundo et fertili sitam, alias[15]. A Doriensibus conditae sunt Cōs, Cnidus, Halicarnāsus, tres in Rhodo insula urbes[12].

* 2. Ea aetate[1] Lycurgus Lacedaemonius, vir generis regii, fuit, severissimarum justissimarumque[2] legum auctor, cujus temporibus etiam Homērus fuisse traditur[3]. At tempora summi hujus poetae incerta sunt. Sunt, qui eum recentem a Tyndaridarum aetate[5] fuisse putent. Etiam de patria ejus maxime dissensum est[6]. Nam, ut ait poeta,

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri:
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenae.

Lycurgus quidem, quippe qui[7] animos moresque civium[8] arte musica[9] erigere studeret, primus carmina Homeri integra ex Ionia in patriam attulisse dicitur.

Lycurgus cum fratri suo[10] Polydectae, Spartānorum regi, successisset regnumque sibi vindicare potuisset, Charilāi, postumi illius filii, tutelam gessit legesque Lacedaemoniis constituit. Regem non deligendum duxit[11], sed eum habendum (qualiscunque is foret), qui modo esset Herculis stirpe generatus. Administrationem rei publicae per ordines[12] divisit. Regibus potestatem bellorum et judiciorum[13], senatui custodiam legum[14], populo sublegendi senatum potestatem[15] permisit. Gerontas[16] instituit XXVIII, penes quos summam consilii voluit esse[17], cum[18] imperii summam[19] rex teneret. Postea, Theopompo regnante, quinque ephori contra vim regiam constituti sunt, quibus annuis[20] magistratibus judicia commissa sunt.

3. Lacedaemonii de rebus majoribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammōne aut a Dōdōna petebant[1]. Itaque Lycurgus, cum Lacedaemoniorum rem publicam temperaret[2], leges suas auctoritate Apollinis Delphici confirmavit. Populum in obsequia principum[3], principes ad justitiam imperiorum[3] formavit. Parsimoniam omnibus suasit, existimans, laborem militiae assidua frugalitatis consuetudine[4] faciliorem * fore. Emi res ad vitam necessarias[5] non pecunia sed compen-

satione mercium[6] jussit[7]. Auri argentique usum, velut omnium scelerum materiam[8], sustulit. Fundos omnium aequaliter inter omnes divisit. Virgines sine dote nubere jussit. Convivari omnes publice jussit.

Clarissimus est victus[9] Lacedaemoniorum in phiditiis[10]. Ubi cum[11] tyrannus cenavisset Dionysius, negavit[12] se jūre illo nigro, quod cenae caput erat, delectatum esse. Tum is, qui illa coxerat: Minime mirum[13], condimenta enim defuerunt. — Quae tandem? inquit ille. — Labor in venatu, sudor, cursus ad Eurōtam, fames, sitis; his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.

4. Pueri puberes non in forum sed in agrum ut deducerentur, Lycurgus praecepit, cum corpora[1] juvenum firmari venando[2], currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando vellet. Nihil eos nisi[3] scirpos ex Eurota flumine ab ipsis petitos[4] somni causa[5] substernere, neque prius in urbem redire, quam viri facti essent, voluit. Spartae rapere pueri et clepere[6] discunt. Pueri Spartiātae non ingemiscunt verberum dolore laniati[7]. Adulescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi, ait * Cicero, incredibili contentione certantes[8] pugnis[9], calcibus, unguibus, morsu denique, cum[10] exanimarentur prius, quam se victos[11] faterentur. Ad aram Dianae pueri sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat, nonnunquam etiam (ut, cum ibi essem, audiebam) ad[12] necem; quorum[13] non modo nemo exclamavit unquam[14], sed ne ingemuit quidem. Nos, si pes, si dens condoluit[15], ferre non possumus; apis aculeum sine clamore ferre non possumus.

5. Maximum honorem Lycurgus senum[1] esse voluit. Itaque Lysander Lacedaemonius dicere solebat, Lacedaemonem esse * honestissimum domicilium senectutis; nusquam enim tantum tribuitur aetati[2], nusquam est senectus honoratior. Quin etiam memoriae proditum est[3], cum Athenis quidam in theatrum * grandis natu[4] venisset, in magno consessu locum nusquam ei datum esse a suis civibus; cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui, legati cum essent[5], certo in loco consederant, consurrexisse omnes et senem illum sessum[6] recepisse. Quibus

cum[7] a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, dixisse ex eis quendam: Athenienses scire, quae[8] recta essent[9], sed facere nolle.

* 6. Lycurgus ut aeternitatem legibus suis daret, jure jurando[1] obligat civitatem, nihil eos de legibus mutaturos, priusquam reverteretur, et simulat se ad oraculum Delphicum proficisci, ut consuleret, quid addendum legibus mutandumve[2] videretur. Proficiscitur autem Crētam[3], ibique perpetuum exsilium egit, abjicique in mare ossa sua combusta moriens jussit[4], ne, relatis ossibus[5], solutos se Spartani religione juris jurandi arbitrarentur. * Virtus civitatis Lycurgi disciplinā corroborata esse putatur[6]. Fuit[7] Lacedaemoniorum gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. * Qui soli[8] toto[9] orbe terrarum septingentos annos amplius[10] unis moribus[11] et nunquam mutatis legibus vixerunt.

Lacedaemonius quidam, cujus ne nomen quidem proditum est, mortem tantopere contempsit, ut[12], cum ad eam duceretur damnatus ab ephoris et esset vultu hilari atque laeto[13], dixissetque ei quidam inimicus: Contemnisne[14] leges Lycurgi? responderit: Ego vero[15] illi maximam gratiam habeo, qui[16] me ea poena multaverit, quam sine mutuatione et sine versura[16] possem dissolvere. O virum Sparta dignum[17]!

7. His igitur moribus brevi tempore civitas ita convaluit, ut, cum Messēniis bellum intulissent, gravissima se exsecratione obstringerent, non prius se, quam Messeniam expugnassent, esse reversuros[1]. At decem annos[2] in obsidione Ithōmēs urbis tenebantur. Victi tandem Messenii, cum per[2] annos aliquot gravem servitutem perpessi essent, rebellant duce Aristomene. Lacedaemonii tribus proeliis[3] fusi de belli eventu oraculum * Delphicum consulunt. Jubentur[4] ducem belli ab Atheniensibus petere.[5] Athenienses cum responsum cognovissent, in contemptum[6] Spartanorum Tyrtaeum poetam, claudum pede[7], miserunt. Qui[8] carminibus recitatis[9] tantum ardorem militibus injecit, ut proelio cruentissimo[3] Lacedaemonii victoriam reportarent. Inde ab illo tempore Spartiatarum mora[10] in proelia procedit ad tibiam[11] nec adhibetur ulla sine versibus hortatio.[12] Lacedaemonii suos[13] omnes agros esse dictitarunt, quos spiculo possent attingere.

2. Solo. Pisistratus.

1. Eo fere tempore, quo Heraclidae in Peloponnesum redierunt, Athenae sub regibus esse desierunt; quorum ultimus fuit Codrus, Melanthi filius. Cum Dorienses gravi bello Atticos premerent, respondissetque Pȳthia, quorum dux ab hoste esset occisus[1], eos futuros esse superiores, Codrus deposita veste regia[2] se in medios immisit hostes.[3] Rixā injectā[2] pugnans pro patriae libertate cecidit (a. Chr. n. 1068). Cognito regis corpore[2] Dorienses sine proelio discedunt. Ita Athenienses virtute regis, pro salute patriae morti se offerentis[4], bello liberantur. Post Codrum nemo Athenis regnavit; quod memoriae nominis ejus tributum est.[5] Hujus filius Medōn primus archōn Athenis fuit. Medontidae insequentesque archontes, dum vivebant[6], eum honorem usurpabant.

2. Olympiadis[1] septimae anno primo (Ol. 7, 1), duobus annis[2] post quam Roma condita est[3], Athenis perpetui archontes esse[4] desierunt, cum fuisset ultimus Alcmaeo, coeptique sunt in denos annos creari[5], quae consuetudo in annos LXX mansit; ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica.

Sexaginta fere annis post[2] Draco, vir juris divini et humani peritus[6], leges, quibus Athenienses uterentur[7], primus omnium tulit.[8] In illis legibus furem quemlibet supplicio capitis puniendum esse[9] sanxit[10] et alia pleraque nimis severe censuit.[11] Ejus igitur leges, quoniam videbantur acerbiores[12], tacito Atheniensium consensu oblitteratae sunt.

Cylōn illis temporibus consilium iniit regni occupandi[13], * comparatisque sibi sociis arcem occupare conatus est. Quam[14] cum obtinere non posset, ipse fugit, socii supplices[15] ad aram consederunt. Tamen occisi sunt culpa Alcmaeonidarum. Solōne auctore[16] arcessitus est Epimenides Crēs, qui[17] Cylonium scelus expiaret.

3. Deinde Solo, unus ex septem illis[1] sapientibus, velut novam civitatem legibus condidit (a. Chr. n. 594), eisque[2]

mitioribus, quam quae[3] erant compositae a Dracōne. Eaque[4] ejus erat rei publicae temperatio, ut parem et a plebe et ab optimatibus gratiam iniret.[5] Cum plebs publica calamitate[6] aere alieno premeretur, salutis omnium causa[7] aliquam sublevationem et medicinam quaesivit. Deinde constituit senatum et Areopagum. Novem archontes cum senatu rem publicam administrabant et judicia exercebant; Areopagitarum consilio leges majorumque instituta servabantur, de rebus sacris cognoscebatur.[8] Ne autem reorum miserando aspectu hi judices commoverentur, ipsa nocte[9], nullis admotis luminibus[10], judicia exercebant, summoque silentio[11] sententias tabellis inscriptas dabant, ita ut alter alterius sententiam ignoraret. Hi Areopagītae damnaverunt aliquando puerum, qui coturnicum[12] oculos eruerat, judicantes, id signum esse perniciosissimae mentis multisque malo futurae[13], si adolevisset. Ab eisdem[14] diligentissime inquiri solebat, quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quaestu sustentaret vitam, ut homines honeste viverent, memores, vitae rationem esse reddendam.[15]

* 4. In legibus Solonis, quae in axibus ligneis[1] incisae erant, unam fuisse, Aristoteles refert[2], scriptam ad hanc sen-
* tentiam[3]: Si quis[4] in seditione non alterutrius partis fuerit[5], exsul extorrisque esto. Atque praeclarum fuit prudentissimi legum scriptoris consilium. Nam si boni omnes seditione orta[6] ad alterutram partem divisi sese adjunxerint[7], concordia per eos potissimum restitui poterit.

Solo cum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse.[8]

Solo postquam leges scripsit[9], navi profectus[10], causam interserens, velle se alias spectare regiones, decem annos[11] peregrinatus est, ne quampiam ex legibus, quas tulerat, mutare cogeretur. Nam ipsis Atheniensibus id facere nefas erat, quippe qui[12] gravissimo jurejurando sese obstrinxissent, per decem annos[11] eis legibus, quascunque (Solo) tulisset[13], esse usuros.[14] Solo in Aegyptum se contulit ad Amāsin atque etiam Sardes[15] ad Croesum. Attamen Athenis magnae discor-

diae e factionibus ortae sunt, ut[16] Solo redux orientem tyrannidem multo ante[17] perspiceret.

5. Anno a. Chr. n. 560 arcem tyrannus occupat Pisistratus, praesidiis saepiebatur[1], leges tamen Solonis plerasque servavit. Pisistrato tyranno Solo, cum ille quaesivisset, qua tandem spe fretus[2] sibi tam audacter obsisteret, respondisse dicitur[3]: Senectute. Pisistratus ille primus[4] Homeri libros confusos[5] antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.

Patrem secutus est[6] Hippias tyrannus, et paullo[7] violentior is quidem esse coepit, postquam Harmodius et Aristogīton libertatis recuperandae causa[8] interficere eum conati sunt fratremque Hipparchum occiderunt. Hippias interfectorem fratris comprehendi jubet.[9] Qui cum tormentis conscios caedis nominare cogeretur[10], omnes amicos tyranni nominavit. Quibus interfectis quaerenti[11] tyranno, num praeterea aliqui conscii essent: Neminem, ait, superesse, quem[12] amplius mori cuperet, quam ipsum tyrannum. Hujus virtute cum admonita civitas libertatis esset[13], tandem Hippias regno pulsus[14] in exsilium agitur (a. Chr. n. 510). Qui profectus[15] in Persas[16] ducem[17] se Dario inferenti Atheniensibus bellum adversus patriam suam offert. At homo nefarius arma contra patriam ferens in pugna[18] Marathonia cecidit. Harmodius et Aristogiton, tyrannicīdae, tamquam herōes ab Atheniensibus culti sunt, eorum statuae, ex aere factae a Praxitele, in foro collocatae. Quas a Xerxe Persarum rege captas[19] postea, victis Persis, Alexander Magnus Atheniensibus remisit. Posteris illorum victus quotidianus in Prytanēo publice est datus, qui honor[20] apud Graecos maximus[21] habebatur.

3. Miltiades.

1. Miltiades Cimōnis filius Atheniensis et antiquitate generis * et gloria majorum unus omnium maxime florebat[1]. A Philaeo Ajăcis filio genus ducebat[2]. Patruus ejus, item Miltiades nominatus, Cardiae in Chersonēso, quam Milēsii coloniam[3] condiderant, multos annos regnum obtinuerat. Nam cum Pisistratus Athenis imperio potitus esset[4], accidit ut[5] Athenienses, Cardianis petentibus[6], Chersonesum[7] colonos vellent mittere. Cujus generis[8] cum magnus numerus esset, et multi ejus demigrationis[9] peterent societatem, ex his delecti Delphos missi sunt, qui[10] consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur[11]. Nam tum Thrăces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. Consulentibus[12] Pythia praecepit, ut Miltiadem Cypseli filium sibi imperatorem[13] sumerent; id si fecissent[14], incepta prospera futura[15]. Hoc oraculi responso[16] Miltiades cum delecta manu classe[17] Chersonesum profectus est. Ibi brevi tempore hostium copiis disjectis, tota regione, quam petierat, potitus[18], loca castellis idonea communivit, multitudinem, quam secum duxerat[19], in agris[20] collocavit[21] crebrisque excursionibus locupletavit. Neque minus in ea re[22] prudentia quam felicitate adjutus est. Nam cum virtute militum devicisset hostium exercitūs, summa aequitate[23] res constituit atque ipse ibidem manere decrevit. Erat enim inter eos dignitate regia[24], quamquam carebat[25] nomine; neque id magis imperio quam justitia consecutus est[26].

2. In ejus locum deinceps successerunt[1] Cimonis fratris filii, Stesagoras et Miltiades. Hic Hegesipylam Olori Thracum regis filiam in matrimonium duxit et per[2] annos quattuor fere et viginti dominatum obtinuit. Neque eo setius Atheniensibus officia praestabat. Lemnii enim, antiquitus ab oraculo poenas Atheniensibus luere jussi[3], irridentes dixerant, tum id se facturos[4], cum Athenienses domo[5] navibus proficiscentes vento aquilone venissent[6] Lemnum[7]. Hic enim ventus a septentrionibus oriens[8] adversum tenet Athenis[9] proficiscentibus.[10] Jam

Miltiades Cimonis filius Lemnum proficiscitur et ex pacto[11] postulat, ut sibi[12] urbem tradant. Vento borea se domo profectum adesse; domum enim se Chersonesi[7] habere. Lemnii, etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen resistere ausi non[13] sunt atque ex insula demigrarunt.

3. Eisdem temporibus Persarum[1] rex Dārīus, ex Asia in Europam exercitu trajecto[2], Scythis bellum inferre decrevit. Pontem fecit in Histro flumine[3], quo copias traduceret.[4] Ejus * pontis, dum ipse abesset, custodes[5] reliquit principes, quos secum ex Ionia et Aeolide duxerat; quibus singulis suarum urbium perpetua dederat imperia.[6] Sic enim facillime putavit se Graecā linguā loquentes, qui Asiam incolerent[7], sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda[8] tradidisset[9], quibus se oppresso[10] nulla spes salutis[11] relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades. Hic, cum crebri afferrent[12] nuntii, male rem gerere[13] Darium premique ab Scythis, hortatus est pontis custodes, ne a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae[14] dimitterent. Nam si cum eis copiis, quas secum transportaverat, interisset[9] Darius, non solum Europam fore tutam, sed etiam Graecos, qui Asiam incolerent[15], liberos a Persarum futuros dominatione et periculo.[16] Et id facile effici posse.[17] Ponte enim rescisso[10] regem vel hostium ferro vel inopia paucis diebus interiturum. Ad hoc consilium cum plerique accederent, Histiaeus Milesius, ne res conficeretur, obstitit[18] dicens, non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire et[19] multitudini, quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio; quo exstincto[20] ipsos potestate expulsos[21] civibus suis poenas daturos.[22] Itaque adeo se abhorrere[23] a ceterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius[24], quam confirmari regnum Persarum. Hujus sententiam cum plurimi essent secuti[25], Miltiades non dubitans, quin[26] tam multis consciis[27] ad regis[28] aures consilia sua essent perventura, Chersonesum reliquit ac rursus Athenas demigravit. Cujus ratio etsi[29] non valuit, tamen magnopere est laudanda, cum amicior omnium libertati, quam suae fuerit dominationi.[30]

4. Darius cum septingentis milibus militum[1] Scythiam * ingressus[2], non facientibus hostibus pugnae potestatem[2], metuebat, ne[3] interrupto ponte[4] Histri reditus sibi intercludere-

tur. Amissis LXXX milibus hominum[1] trepidus refugit. Cum ex Europa in Asiam redisset, Histiaeum amicum primo[5] amplis praemiis affecit, sed paulo post, cum fidem ejus suspectam haberet, familiaritatis specie ad se Sūsa[6] arcessivit. Tum Histiaeus de motu Ionum concitando[7] cogitare coepit. Consilia sua ut cum Aristagora genero communicaret[8], admirandam commentus est[9] litterarum latebram. Servo suo diu oculos aegros * habenti capillum ex capite omni, tamquam medendi causa[10], deradit caputque ejus lēve litteris compungit. His litteris, quae voluit, perscripsit. Hominem postea, quoad capillus adolesceret, domo continuit. Ubi[11] id factum est, ire ad Aristagoram jubet[12] et: Cum ad eum, inquit, veneris[13], mandasse me dicito, ut * caput tuum, sicut nuper egomet feci, deraderet. Servus, ut imperatum erat, ad Aristagoram venit mandatumque domini affert; atque ille, id non esse frustra ratus, quod erat mandatum, fecit. Ita litterae perlatae sunt. His litteris Aristagoras impulsus Iones concitavit, ut libertatem recuperarent.[14] Coacto exercitu[15], ab Atheniensibus viginti navibus adjuti, regis praesidia interfecerunt, Sardes urbem expugnaverunt atque incenderunt. Sed paulo post ad Lādēn insulam navali proelio[16] victi[17] sub imperium Persarum redacti sunt.[18]

5. Deinde Darius cum cognovisset, Athenienses Ionibus contra se[1] auxilium tulisse, omnem impetum belli in eos convertit. Mardonium misit cum exercitu et classe, qui praeter oram Thraciae et Macedoniae profectus[2] Graeciam opprimeret. (a. 492.) Sed cum naves apud Athōnem promontorium tempestate ad scopulos appulsae[3] paene omnes naufragio interissent, Mardonius infectis rebus[4] revertit. Neque tamen[5] rex consilio destitit atque hortantibus amicis[6], ut Graeciam redigeret in suam potestatem[7], classem quingentarum navium comparavit eique Dātim praefecit[8] et Artaphernem, hisque ducenta peditum[9], decem equitum[9] milia dedit. Praefecti regii classe ad Euboeam appulsa[10] celeriter Eretriam ceperunt omnesque ejus gentis cives abreptos[11] in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt ac copias suas in campum Marathōna[12] deduxerunt. Is abest ab urbe circiter milia passuum[9] decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo tamque magno permoti auxilium a

Lacedaemoniis petiverunt[13] Phīdippumque cursorem ejus generis, qui hemerodromi (ἡμεροδρόμοι) vocantur, Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret, quam celeri opus esset auxilio.[14] Domi[15] autem creant decem praetores, qui exercitui praeessent[16], in eis[17] Miltiadem. Inter quos magna fuit[18] contentio, utrum[19] moenibus se defenderent, an obviam irent hostibus acieque decernerent.[20] Unus[21] Miltiades maxime nitebatur, ut primo quōque tempore[22] castra fierent.[23] Id si factum esset[24], et civibus animum accessurum, cum viderent, de eorum virtute non desperari[25], et hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicari.[25]

6. Hoc in tempore[1] nulla civitas Atheniensibus auxilio[2] fuit praeter Plataeenses. Ea mille misit milites. Itaque horum adventu undecim milia armatorum completa sunt; quae manus mirabili flagrabat pugnandi[3] cupiditate. Quo factum est ut[4] plus quam collegae Miltiades valeret. Ejus auctoritate impulsi[5] Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque idoneo[6] castra fecerunt. Deinde postero die sub montis radicibus aciem instruxerunt. Datis etsi[7] non aequum esse locum videbat suis, tamen fretus numero[8] copiarum suarum confligere cupiebat, eoque magis, quod, priusquam Lacedaemonii subsidio[2] venirent, dimicare utile arbitrabatur. Lacedaemonii enim promissis auxiliis[9] religione se teneri dixerant, quominus[10], antequam plena esset luna[11], proficiscerentur. Itaque Datis in aciem peditum centum, equitum decem milia produxit. Athenienses instructis[12] decem milibus civium et Plataeensibus auxiliaribus mille in proelium egrediuntur. Tanta in pugnam euntibus alacritas animorum fuit[13], ut, cum mille passus[14] ab hostium acie abessent, citato cursu ante jactum sagittarum ad hostem venirent. Tantoque plus[15] virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent; adeoque eos perterruerunt, ut Persae non castra sed naves peterent. Qua pugna[16] nihil adhuc exstitit nobilius. Nulla enim unquam[17] tam exigua manus tantas copias prostravit. (a. 490).

7. In eo proelio tanta virtus singulorum fuit, ut, cujus laus prima esset[1], difficile judicium videretur. Inter ceteros tamen Themistoclis adulescentis gloria enituit, in quo jam indoles fu-

turae imperatoriae virtutis apparuit. Cynaegīri quoque militis Atheniensis gloria magnis scriptorum laudibus celebrata est. Qui[2] post proelii innumerabiles caedes cum[2] fugientes hostes ad naves egisset, onustam navem dextra manu tenuit nec prius dimisit, quam manum amisit; tum quoque, amputata dextra, navem sinistrā comprehendit; quam ipsam[3] cum amisisset, postremo mordicus navem tenuit. Septem milia Persae eo proelio[4] amiserunt. Cecidit etiam Hippias tyrannus Atheniensis, auctor et concitator ejus belli, dis patriae ultoribus[5] poenas repetentibus.

8. Cujus victoriae[1], non alienum videtur docere, quale praemium Miltiadi sit tributum, quo[2] facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi atque obsoleti, sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas totamque Graeciam liberarat, talis honos tributus est, in porticu[3], quae Poecile (*Ποικίλη*) vocatur, cum pugna Marathonia depingeretur, ut in decem praetorum numero prima[4] ejus imago poneretur, isque[5] hortaretur milites proeliumque committeret. Idem ille populus, posteaquam[6] majus imperium est nactus et largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo[7] decrevit.

9. Post hoc proelium classem septuaginta navium Athenienses eidem[1] Miltiadi dederunt, ut insulas, quae barbaros adjuverant[2], bello persequeretur. Ex his Părum insulam opibus elatam cum oratione[3] reconciliare non posset, copias e navibus eduxit, urbem operibus clausit omnique commeatu privavit.[4] Jam paulum aberat, quin[5] oppido potiretur, cum procul in Mycŏno insula lucus, qui ex Paro conspiciebatur[6], nescio quo casu[7] nocturno tempore incensus est. Cujus flamma ut[8] ab oppidanis et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum a classiariis regis datum esse. Quo factum est ut[9] et Parii a deditione deterrerentur, et Miltiades timens, ne[10] classis regia adventaret, incensis operibus[11], quae statuerat, cum totidem navibus, atque[12] erat profectus, Athenas magna cum[13] offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo est proditionis[14], quod,

cum Parum expugnare posset[15], a rege corruptus infectis rebus[16] discessisset. Eo tempore aeger erat vulneribus[17], quae in oppugnando oppido[18] acceperat. Itaque cum ipse pro se dicere non posset, verba fecerunt propinqui et amici. Causa cognita capitis absolutus[14], pecunia multatus est, eaque lis quinquaginta talentis aestimata est.[19] Hanc pecuniam quod solvere in praesentia non poterat, in vincula publica conjectus est[20] ibique diem obiit supremum.[21]

10. Verum etsi crimine Pario[1] est accusatus, tamen alia causa fuit damnationis. Namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quae paucis annis ante[2] fuerat, omnem civium suorum potentiam[3] extimescebant. Miltiades multum in imperiis magistratibusque versatus[4] non videbatur posse esse privatus, praesertim cum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi[5] videretur. Nam in Chersoneso omnes illos, quos[6] habitarat, annos perpetuam obtinuerat dominationem tyrannusque fuerat appellatus sed justus. Non erat enim vi consecutus[7] sed suorum voluntate[8], eamque potestatem[9] bonitate retinebat. Omnes autem et habentur et dicuntur tyranni[10], qui potestate sunt perpetua[11] in ea civitate[12], quae libertate usa est.[13] Sed in Miltiade erat cum summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret[14], magna auctoritas apud omnes civitates, nobile nomen, laus rei militaris[15] maxima. Haec populus respiciens maluit eum innoxium plecti, quam se diutius esse in timore.

4. Themistocles.

1. Themistocles Neoclis filius Atheniensis vitia ineuntis adulescentiae magnis emendavit virtutibus, adeo ut anteferatur ei nemo, pauci pares[1] putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Neocles generosus fuit. Is uxorem Acarnānam civem[2] duxit, ex[3] qua natus est Themistocles. Qui cum minus esset probatus parentibus, quod[4] et liberius[5] vivebat et rem familiarem negligebat, a patre exheredatus est. Quae[6] contumelia non fregit eum sed erexit. Nam cum judicasset[7], sine summa industria non posse eam exstingui, totum[8] se dedidit

reipublicae, diligentius amicis famaeque serviens.[9] Multum in * judiciis versabatur, saepe in concionem populi prodibat[10] nulla res major sine eo gerebatur, celeriterque, quae opus erant[11], reperiebat, facile eădem oratione explicabat.[12] Neque minus[13] in rebus gerendis promptus, quam excogitandis, erat, quod et de instantibus (ut ait Thucydides) verissime judicabat, et de futuris callidissime conjiciebat.[13] Quo factum est ut brevi tempore illustraretur. Miltiadis maxime gloria videtur commotus esse.[14] Noctu ambulabat in publico, quod somnum capere non posset, quaerentibusque respondebat, Miltiadis tropaeis se[15] e somno suscitari.

2. Primus autem gradus fuit capessendae reipublicae[1] bello Aeginetico[2]; ad quod gerendum[3] praetor[4] a populo factus non solum praesenti bello[2], sed etiam reliquo tempore[5] ferociorem[6] reddidit civitatem. Nam cum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit[7] populo, ut eā pecuniā classis centum navium aedificaretur. Qua celeriter facta primum[8] Aeginētas fregit, deinde[8] maritimos praedones consectando[9] mare tutum[6] reddidit. In quo[10] cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos[11] belli navalis fecit Athenienses. Id quantae saluti fuerit[12] universae Graeciae, bello cognitum est Persico[2], cum Xerxes — Hellesponto juncto, Athone perfosso[13] — et mari et terra[14] bellum universae inferret Europae cum tantis copiis, quantas[15] neque antea neque postea habuit quisquam. Ejus enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit[16], quam duo milia onerariarum[17] sequebantur[18]; terrestres autem exercitus septingenta peditum, equitum quadringenta milia fuerunt.

3. Cujus de adventu cum fama in Graeciam esset perlata, et maxime Athenienses peti dicerentur[1] propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum[2], quidnam facerent de rebus suis.[3] Pythia respondit, ut[4] moenibus ligneis se munirent. Id responsum quo valeret[5], cum intelligeret nemo, Themistocles populo persuasit[6], consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque conferrent; eum[7] enim a deo significari murum ligneum. Hoc consilio probato, celeriter explent numerum navium[8] ac, postquam Thermopylae a Persis expugnatae sunt, sua omnia,

quae moveri poterant[9], partim Salamīna[10], partim Troezēna[10] deportant; arcem paucis majoribus natu ad sacra procuranda[11] tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

4. Plerisque civitatibus in terra[1] dimicari[2] magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leōnida Lacedaemoniorum rege[3], qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros progredi non paterentur.[4] Xerxes, contemnens paucitatem, eos pugnam capessere jubet[5], quorum cognati Marathonia pugna[6] interfecti fuerant. Qui dum ulcisci suos student, principium cladis fuerunt. Succedente deinde majore turba, major caedes editur. Triduo[7] ibi cum[8] dolore et indignatione Persarum dimicatum est, ut Xerxes exclamaret, multos quidem homines se habere, viros autem nullos. Nec superati essent Lacedaemonii, nisi per proditorem, Ephialten Trachīnium, circumductus hostis a tergo[9] eos obrepsisset. Tertio die cum nuntiatum esset Leonidae, a viginti milibus hostium summum cacumen teneri, hortatur socios: recedant[10] et se ad meliora patriae tempora reservent; sibi cum Spartanis fortunam experiendam[11], ceteros ad praesidia Graeciae servandos.[11] Audito regis imperio discesserunt ceteri, soli[12] Lacedaemonii remanserunt. Initio hujus belli sciscitantibus[13] oracula Delphis responsum erat: aut regi Spartanorum aut urbi cadendum.[11] Idcirco Leonidas rex cum ad bellum proficisceretur, ita suos confirmaverat, ut ire se parato ad moriendum animo[14] scirent. Angustias propterea occupaverat, ut cum paucis aut majore gloria[15] vinceret, aut minore damno[15] rei publicae caderet. Dimissis igitur sociis hortatur Spartanos: Prandete animo forti, Lacedaemonii, hodie apud inferos fortasse cenabimus.[16] Arma capiunt, caedunt sternuntque omnia. Sed vim[17] hostium non sustinuerunt, eoque loco[18] omnes interierunt (a. 480). In eos Simonides poeta[19]:

Dic, hospes, Spartae, nos te hic vidisse jacentes,[20]
Dum[21] sanctis patriae legibus obsequimur.

5. Multa feruntur a Leonida aut ab alio Lacōne eo tempore fortiter acuteque dicta.[1] Cum ad Leonidam quidam militum dixisset: Hostes sunt prope nos: Et nos, inquit, prope illos. — Cum Xerxes Leonidae scripsisset: Mitte arma, respondit ille: Veni et cape. — E Lacedaemoniis unus[2], cum Persēs hostis in

colloquio dixisset glorians: Solem prae[3] jaculorum multitudine et sagittarum non videbitis: In umbra igitur, inquit, pugnabimus. — Lacaena cum filium in proelium misisset et interfectum[4] audisset: Idcirco, inquit, genueram, ut esset[5], qui pro patria mortem non dubitaret occumbere.

6. At classis communis Graeciae trecentarum navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium, inter Euboeam continentemque terram, cum classiariis regis conflixit. Angustias enim Themistocles quaerebat[1], ne multitudine circumiretur.[2] Hic etsi pari proelio[3] discesserant, tamen eodem loco[4] non sunt ausi manere, quod erat periculum, ne[5], si pars navium adversariorum Euboeam superasset[6], ancipiti premerentur periculo[7]. Quo factum est ut[8] ab Artemisio discederent et contra Athenas[9] apud Salamīna classem suam constituerent. Themistocles cum animadvertisset, Iōnes regi auxilio venisse, sollicitare eos in partes suas statuit, et cum colloquendi copiam[10] non haberet, per[11] viam in saxis inscribi[12] jussit[13], deficerent[14] ab rege, aut si hoc parum tutum esset, commisso proelio[15] remis inhiberent et discederent.

7. At Xerxes Thermopylis expugnatis[1] quattuor milia armatorum[2] Delphos mittit ad templum Apollinis diripiendum[3]; quasi non cum Graecis tantum sed etiam cum deis immortalibus bellum gereret. Quae manus tota imbribus et fulminibus deleta est, ut intelligeret, quam nullae[4] essent hominum adversus deos vires. Post haec Thespias et Plataeas, vacuas[5] hominibus, incendit; protinus deinde accessit ad urbem, quam nemo defendebat, arcemque, interfectis[6] quos invenerat, incendio delevit. Cuius flamma perterriti Graeci cum manere non auderent et plurimi hortarentur, ut domos suas[7] discederent moenibusque[8] se defenderent, Themistocles unus[9] restitit et universos[10] pares esse posse ajebat, dispersos[10] testabatur perituros; idque Eurybiadi, qui tum summae imperii praeerat[11], fore affirmabat. Quem[12] cum minus, quam vellet, moveret, noctu de servis suis quem habuit fidelissimum[13] ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis[14]: adversarios ejus in fuga esse. Qui si discessissent, majore cum labore et longinquiore tempore bellum eum confecturum, cum singulos[15] consectari cogeretur; quos si statim

aggrederetur, brevi universos[16] oppressurum. Hoc eo valebat[17], ut inviti[18] ad depugnandum omnes cogerentur.

8. Hac re audita barbarus, nihil doli[2] subesse credens[1], postridie alienissimo sibi loco[3], contra opportunissimo hostibus, adeo angusto mari[3] conflixit, ut ejus multitudo navium explicari[4] non posset. Interea rex, velut spectator pugnae, cum parte navium in litore remanet. Artemisia autem ,regina Halicarnāsi, quae auxilio Xerxi venerat, inter primos ordines pugnam acerrime ciebat; ut[5] in viro muliebrem timorem, ita in muliere virilem audaciam cerneres.[5] Cum anceps proelium esset, Iones secundum praeceptum Themistoclis pugnae se paulatim subtrahere coeperunt. Quorum defectio animos ceterorum fregit. Itaque circumspicientes fugam pelluntur Persae et mox proelio victi in fugam vertuntur.[6] In qua trepidatione multae captae * naves, multae depressae sunt; plures tamen non minus saevitiam regis quam hostem timentes domum dilabuntur. Victus ergo Xerxes est magis etiam[7] consilio[8] Themistoclis, quam armis Graeciae. Sic unius viri prudentiā Graecia liberata est, Europaeque succubuit Asia. Haec[9] est altera victoria, quae cum Marathonio possit[10] comparari tropaeo. Nam pari modo[11] apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam[12] classis est devicta. (a. 480.)

9. Xerxes etsi male rem gesserat[1], tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam tum his opprimere posset[2] hostes. Sed clade perculsum et inopem consilii[3] Mardonius hortatur, ut in regnum abeat, ne quid[4] seditionis[5] moveat fama adversi belli, in majus, sicuti mos est, omnia extollens[6]; sibi CCC milia armatorum lecta ex omnibus copiis relinquat[7]; qua manu[8] aut cum gloria ejus[9] perdomiturum se Graeciam, aut, si aliter eventus fuerit[10], sine ejusdem[11] infamia hostibus cessurum. Probato consilio Mardonio exercitus traditur; reliquas copias rex ipse deducere in regnum parat. Quod iter ut maturaret, dolo Themistoclis impulsus esse dicitur. Is enim veritus, ne[12] bellare rex perseveraret, certiorem eum fecit[13], id agi[14], ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat[15], dissolveretur atque ipse reditu in Asiam intercluderetur, idque ei persuasit[16].

10. Alii aliter rem narrant. Rex certe perculsus nuntio tradit ducibus milites perducendos[1]; ipse cum paucis ad Hellespontum contendit. Ibi cum pontem hibernis tempestatibus solutum offendisset, piscatoria scapha trepidus trajecit. Erat res spectaculo digna[2] in exiguo latentem[3] videre navigio, quem paulo ante vix aequor omne capiebat, carentem[3] omni etiam servorum ministerio, cujus exercitus propter multitudinem terris graves erant, pedem se in terra Asia posuisse[4] laetantem[3], qui olim, refertus omnibus donis fortunae, praemium proposuit[5], qui invenisset[6] novam voluptatem! Itaque qua[7] quattuor mensibus iter fecerat, eādem[7] minus[8] diebus quadraginta quinque in Asiam revertit, seque a Themistocle non superatum sed conservatum judicavit.[9] Nec pedestribus copiis, quas ducibus * tradiderat, felicius iter fuit[10], siquidem ad quotidianum laborem (neque enim ulla est metuentibus quies[11]) etiam fames accesserat. Multorum deinde dierum inopia contraxerat pestilentiam, tantusque numerus morientium fuit, ut viae cadaveribus implerentur[12] alitesque et bestiae, escae illecebris sollicitatae[13], exercitum sequerentur.

11. Jam hujus belli narrationem hoc loco[1] ad finem perducamus[2], quamquam Themistocles non fuit inter praetores anni insequentis. — Mardonius in Graecia Olynthum expugnat. Athenienses quoque in spem pacis amicitiamque regis[3] sollici- * tat. Cum nullo pretio[4] libertatem his venalem esse videret, incensis[5] quae aedificare coeperant, copias in Boeōtiam transfert. Eo etiam Graecorum exercitus, qui centum milium fuit[6], secutus est ibique proelium ad Plataeas commissum (a. 479). Sed fortuna regis cum duce mutata non[7] est. Nam * Mardonius victus in eo proelio ipse cecidit, cum quidem fortissime pugnaret; pauci veluti ex naufragio profugerunt. Castra plena[8] regalis opulentiae capta. Unde[9] primum Graecos diviso inter se auro Persico[10] divitiarum luxuria cepit.

12. Eodem forte die[1], quo Mardonii copiae deletae sunt, etiam navali proelio[2] in Asia sub monte Mycale, ducibus[3] Leotychide Lacone et Xanthippo Atheniensi, Periclis patre, adversus Persas dimicatum est. Ibi ante congressionem, cum classes ex adverso starent, fama ad utrumque exercitum venit,

vicisse Graecos et Mardonii copias occidione cecīdisse.[4] Mira profecto fuit famae velocitas, ut, cum matutino tempore[1] proelium in Boeotia commissum esset, meridianis horis[1] in Asiam per tot maria et tantum spatii[5] tam brevi temporis momento[1] de victoria nuntiaretur[6].

13. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace[1]. Cum enim Phalērico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur[2], hujus consilio[3] triplex Pīraei portus constitutus est isque[4] moenibus circumdatus, ut[5] ipsam urbem dignitate[6] aequiperaret[7], utilitate[6] superaret. Idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo.[8] Nam Lacedaemonii, causam idoneam nacti[9] propter barbarorum excursiones, qua negarent[10] oportere extra Peloponnesum ullam urbem moenia habere, ne essent loca munita, quae hostes possīdĕrent, Athenienses aedificantes[11] prohibere sunt conati. Hoc longe alio spectabat, atque videri volebant[12]. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intelligerent Lacedaemonii, de principatu sibi cum eis certamen fore[13]. Quare eos quam infirmissimos[14] esse volebant. Postquam autem audierunt[15], muros exstrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent[16]. His praesentibus[17] desierunt ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, et solus primo profectus est; reliqui legati ut tum exirent, cum satis alti muri exstructi viderentur, praecepit; interim omnes, servi atque liberi, opus facerent[18], neque ulli[19] loco parcerent[20], sive[21] sacer sive profanus, sive privatus esset sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent[22], congererent. Quo factum est ut Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque[23] constarent.

14. Themistocles autem ut[1] Lacedaemonem venit, adire ad magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret[2] causam interponens, se collegas exspectare. Cum Lacedaemonii quererentur[3], opus nihilominus fieri, eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt secuti. A quibus cum audisset, non multum superesse munitionis[4], ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos tum summum erat im-

perium, atque apud[5] eos contendit, falsa eis esse delata; quare aequum esse[6], illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur[7], qui[8] rem explorarent; interea se obsidem[9] retinerent.[10] Gestus est ei mos[11], tresque legati, functi[12] summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles jussit proficisci eisque praedixit, ut ne[13] prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. Hos postquam Athenas pervenisse ratus est[14], ad contionem Lacedaemoniorum adiit et apud[5] eos liberrime professus est, Athenienses suo consilio[15] (id quod[16] communi jure[15] gentium facere possent) deos publicos suosque patrios ac penates[17], quo[18] facilius ab hoste possent defendere, muris saepsisse; neque in eo[19], quod inutile esset Graeciae, fecisse. Nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris[20]; apud quam[21] jam bis classes regias fecisse naufragium. Lacedaemonios autem male et injuste facere, qui[22] id potius intuerentur, quod ipsorum dominationi, quam quod universae Graeciae utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent[10], cum aliter illos nunquam in patriam essent recepturi. Qua oratione commoti Lacedaemonii eum remiserunt.

15. Themistocles fertur[1] Serīphio cuidam[2] in jurgio respondisse, cum ille dixisset, non eum[3] sua sed patriae gloria splendorem assecutum esse: Nec hercule, inquit, si ego Seriphius essem, nobilis, nec tu, si Atheniensis esses, clarus unquam * fuisses.[4] Neque tamen[5] effugit[6] civium suorum invidiam. Nam ob eundem timorem, quo[7] damnatus erat Miltiades, testarum suffragiis e civitate ejectus[8] Argos habitatum[9] concessit. Hic cum magna cum dignitate[10] viveret, Lacedaemonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem[11] accusarent, quod[12] societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam[13] fecisset. Hoc crimine[14] absens[11] proditionis damnatus est[15]. Id ut audivit, quod[16] non satis tutum se Argis videbat, Corcȳram demigravit. Ibi cum cives principes animadvertisset timere, ne[17] propter se bellum eis Lacedaemonii et Athenienses indicerent, ad Admētum Molossorum regem confugit.

16. Eo cum venisset, et in praesentia rex abesset, quo majore religione se receptum tueretur[1], filium ejus parvulum

arripuit et cum eo se in sacrarium, quod summa colebatur caerimonia[2], conjecit. Inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem reciperet[3]; quam[4] praestitit. Nam cum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis deposceretur publice, supplicem non prodidit monuitque, ut consuleret sibi; difficile enim esse, in tam propinquo loco tuto[5] eum versari. Itaque Pydnam eum deduci jussit[6] et, quod satis esset praesidii[7], dedit. Hic navem omnibus ignotus nautis conscendit. Quae cum tempestate maxima Naxum deferretur, ubi tum Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si eo pervenisset[8], sibi esse pereundum[9]. Hac necessitate coactus domino navis, quis sit, aperit multa pollicitus, si se conservasset[8]. At ille clarissimi viri[10] captus misericordia diem noctemque[11] procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris neque quemquam[12] ex ea exire passus est[13]. Inde Ephesum pervenit ibique Themistoclem exponit; cui ille pro meritis gratiam postea rettulit[14].

17. Scio[1], plerosque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transisse. Sed ego potissimum Thucydidi credo[2], quod aetate[3] proximus de eis, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et ejusdem civitatis fuit[4]. Is autem ait, ad Artaxerxem eum venisse atque his verbis[5] epistulam misisse: „Themistocles veni[6] ad te, qui plurima mala omnium Graecorum[7] in domum tuam intuli, quamdiu mihi necesse fuit adversus patrem tuum bellare patriamque meam defendere. Idem[8] multo plura bona[9] feci, postquam in tuto ipse et ille in periculo esse coepit. Nam cum in Asiam reverti vellet proelio apud Salamina facto[10], certiorem eum feci[11], id agi[12], ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ipse ab hostibus circumiretur; quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc autem confugi[13] ad te, exagitatus a cuncta Graecia, tuam petens amicitiam; quam si ero adeptus[14], non minus me[15] bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. Te autem rogo, ut de eis rebus, de quibus tecum[16] colloqui volo, annuum mihi tempus des, eoque exacto me ad te venire patiaris"[17].

18. Tantam rex animi magnitudinem admirans cupiensque, talem virum sibi conciliari[1], veniam dedit. Ille omne illud tempus[2]

litteris sermonique Persarum[3] se dedidit, quibus adeo eruditus est[4], ut multo commodius[5] dicatur[6] apud regem verba fecisse, quam ei poterant, qui in Perside erant nati. Cum multa regi esset pollicitus gratissimumque[7] illud, si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit domiciliumque Magnēsiae sibi constituit. Nam hanc urbem ei rex donarat his quidem verbis[8]: quae ei panem praeberet (ex qua regione quinquagena talenta quotannis redibant); Lampsacum autem, unde[9] vinum sumeret; Myunta, ex qua[10] opsonium haberet. Hujus ad nostram memoriam[11] monumenta manserunt duo: sepulcrum prope oppidum[12], in quo est sepultus[13], statua in foro Magnesiae. De ejus morte multis modis apud plerosque scriptum est[14]; sed nos eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesiae morbo mortuum, neque[15] negat, fuisse famam, * venenum eum sua sponte sumpsisse, cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset, praestare posse desperaret. Idem, ossa ejus clam in Attica ab amicis sepulta esse, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus, memoriae prodidit[16].

5. Aristides.

1. Aristīdes Lysimachi filius Atheniensis aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit; namque obtrectabant inter se[1]. Post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit[2], Themistocles dixit in contione, se[3] habere consilium rei publicae salutare, sed id sciri non opus esse[4]. Postulavit[5], ut aliquem populus daret, quicum[6] communicaret. Datus est[7] Aristides. Huic ille[8]: Classem Lacedaemoniorum, quae subducta esset ad Gythēum, clam incendi posse, quo facto[9] frangi Lacedaemoniorum opes necesse esset[10]. Quod Aristides cum audisset, in contionem magna exspectatione[11] venit dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret, sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod[12] honestum non esset, id ne utile quidem[13] putaverunt totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide[14] repudiaverunt.

2. In his autem cognitum est, quanto[1] antestaret eloquentia innocentiae. Quamquam enim adeo excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam[2], quem quidem nos audierimus[3], cognomine Justus sit appellatus[4], tamen, a Themistocle collabefactus, testula illa[5] exsilio decem annorum multatus est. Qui cum intelligeret, reprimi concitatam multitudinem non posse[6], cedensque animadvertisset quendam scribentem[7], ut patria pelleretur, quaesisse[8] ab eo dicitur, quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tanta poena dignus[9] duceretur[10]. Cui ille respondit, se[11] ignorare Aristidem; sed sibi[11] non placere, quod[12] tam cupide laborasset, ut praeter ceteros Justus appellaretur. Neque tamen[13] decem annorum legitimam poenam pertulit. Nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno, quam[14] erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.

3. Interfuit[1] autem pugnae navali apud Salamina, quae facta est prius quam poena liberaretur. Idem[2] praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo barbarorum exercitus fusus Mardoniusque interfectus est. Neque aliud est ullum[3] ejus in re militari illustre factum, quam hujus imperii memoria; justitiae vero et aequitatis et innocentiae multa, imprimis, quod[4] ejus aequitate factum est, cum[5] in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce[6] Mardonius erat fugatus, ut[5] summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad[7] Athenienses. Nam ante id tempus et mari et terra[8] duces erant Lacedaemonii[9]. Tum autem et intemperantia Pausaniae et justitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos sibi duces deligerent[10].

4. Quos quo[1] facilius repellerent, si forte bellum renovare conarentur, ad classes aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret[2], Aristides delectus est qui constitueret, ejusque arbitrio[3] quadringena et sexagena talenta quotannis Dēlum sunt collata. Id[4] enim commune aerarium esse voluerunt.

5. Memoriae proditum est, Latōnam deam ex[1] longo errore confugisse Delum atque ibi Apollinem Diānamque peperisse, *

qua ex opinione[2] hominum illa insula eorum deorum sacra[3] putatur[4]; tantaque ejus religionis auctoritas semper fuit[5], ut ne Persae quidem, cum bellum toti Graeciae, dis hominibusque indixissent et mille numero[6] navium classem ad Delum appulissent[7], quidquam conarentur aut violare aut attingere. Parva insula in Aegaeo mari posita, quo[8] omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta[9] divitiis sine muro nihil timebat. Tanta hominum ejus fani fuit religio[10].

6. Pecunia illa sociorum omnis postero tempore Athenas translata est. Aristides qua fuerit[1] abstinentia[2], nullum est certius judicium[3], quam quod[3], cum tantis rebus praefuisset[4], in tanta paupertate decessit, ut, qui[5] efferretur, vix reliquerit[6]. * Quo factum est ut filiae ejus publice alerentur et de aerario dotibus datis collocarentur[7]. Decessit autem fere post annum quartum quam Themistocles Athenis erat expulsus[8].

6. Pausanias.

1. Pausanias Lacedaemonius magnus homo, sed varius in omni genere vitae[1] fuit. Nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus[2]. Illustrissimum est ejus proelium apud Plataeas. Nam illo duce Mardonius sătrăpēs regius, Darii regis gener, imprimis omnium Persarum et manu fortis[3] et consilii plenus[4], cum ducentis milibus militum haud ita magna[5] manu Graeciae * fugatus est. Qua victoria elatus plurima miscere[6] coepit et majora concupiscere. Sed primum in eo[7] est reprehensus, quod, cum ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset, * epigramma inscripsit: Suo ductu[8] barbaros apud Plataeas * esse deletos, ejusque victoriae ergo[9] Apollini id donum se dedisse. Hos versus Lacedaemonii exsculpserunt[10] neque aliud scripserunt[10], quam nomina earum civitatum, quarum auxilio Persae erant victi.

2. Post id proelium eundem[1] Pausaniam cum classe communi Cyprum atque Hellespontum[2] miserunt, ut ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret. Pari felicitate in ea re[3] usus[4] elatius se gerere coepit maioresque appetere res. Nam

cum Byzantio expugnato[5] cepisset complures Persarum nobiles atque in eis nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi remisit simulans, ex vinculis publicis effugisse[6], et cum eis Gongylum Eretriensem, qui litteras regi redderet, in quibus haec fuisse scripta Thucydides memoriae prodidit: „Pausanias, dux Spartae, quos Byzantii ceperat[7], postquam propinquos tuos esse[8] cognovit, tibi muneri[9] misit[7] seque tecum affinitate conjungi cupit; quare, si tibi videtur, des[10] ei filiam tuam nuptum[11]. Id si feceris[12], et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem se adjuvante te redacturum pollicetur. His de rebus si quid[13] geri volueris[12], certum hominem ad eum mittas fac[10], cum quo colloquatur.“[14] Rex, tot hominum salute[15] tam sibi necessariorum magnopere gavisus, confestim cum epistula Artabazum ad Pausaniam mittit, in qua eum collaudat; petit, ne cui rei parcat[16] ad ea perficienda, quae polliceatur; si perfecerit[12], nullius rei[17] a se repulsam laturum. Pausanias voluntate regis cognita alacrior ad rem gerendam factus in suspicionem incidit Lacedaemoniorum[18]. Itaque domum revo- * catus[19], accusatus capitis[20] absolvitur, multatur tamen pecuniā[21]; quam ob causam ad classem remissus non[22] est.

3. At ille non multo post sua sponte ad exercitum rediit et ibi non callida sed dementi ratione cogitata patefecit[1]. Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum vestitumque mutavit. Apparatu regio utebatur[2], veste Mēdica[3]; satellites Mēdi[3] et Aegyptii sequebantur; epulabatur more[4] Persarum luxuriosius, quam, qui aderant, perpeti possent[5]; aditum petentibus conveniendi non dabat[6]; superbe respondebat, crudeliter imperabat[7]. Spartam redire nolebat; Colōnas, qui locus[8] in agro Troade est, se contulerat; ibi consilia cum patriae tum sibi inimica capiebat.[9] Id postquam Lacedaemonii rescierunt, legatos ad eum cum scutula miserunt, in qua more illorum erat scriptum: nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos[10]. Hoc nuntio commotus[11], sperans[12] se etiam tum pecunia et potentia instans periculum posse depellere, domum rediit. Eo ut venit, ab ephoris in vincula publica[13] conjectus est. Licebat enim legibus[4] eorum ephoris[14] cuivis hoc facere vel regi. Hinc tamen se expedivit[15]; neque eo magis carebat suspicione[16]. Nam

opinio manebat, eum[17] cum rege habere societatem. Est genus quoddam[18] hominum, quod Hēlōtae vocatur, quorum magna multitudo agros[19] Lacedaemoniorum colit servorumque munere fungitur[20]. Hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur[21]. Sed quod[22] harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant, de tali tamque claro viro suspicionibus oportere judicari et exspectandum, dum se ipsa res aperiret[23].

4. Interim[1] Argīlius quidam adulescentulus, quem puerum[2] Pausanias dilexerat, cum[1] epistulam ab eo ad Artabazum accepisset eique in suspicionem venisset[3], aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum redisset, qui eodem missi erant, vincula epistulae laxavit signoque detracto cognovit, si pertulisset[4], sibi esse pereundum[5]. Scilicet scripserat Pausanias Xerxi, quoscunque ad eum nuntios misisset[6], interficeret[7], ne res loquacitate hominum proderetur. Erant[8] in eadem epistula, quae ad ea pertinebant, quae inter regem Pausaniamque convenerant[8]. Has ille litteras ephoris tradidit. Non est praetereunda gravitas[9] Lacedaemoniorum hoc loco[10]. Nam ne hujus quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent[11]; neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset. Itaque indīci illi, quid fieri vellent[12], praeceperunt. Fanum Neptūni est Taenari, quod violari nefas putant Graeci[13]. Eo adulescentulus confugit in araque consedit[14]. Juxta hanc locum fecerant sub terra, ex quo posset audiri[15], si quis quid[16] loqueretur cum Argilio. Huc ex ephoris quidam descenderunt. Pausanias ut audivit, Argilium confugisse in aram, perturbatus venit eo. Quem cum supplicem[17] dei videret in ara sedentem[18], quaerit, quid causae[19] sit tam repentini consilii. Ille, quid ex litteris comperisset, aperit. Tum eo magis Pausanias perturbatus orare coepit, ne enuntiaret nec se[20] meritum de illo optime proderet. Quodsi[21] eam veniam sibi dedisset tantisque implicatum rebus sublevasset, magno ei praemio futurum[22].

5. His rebus ephori cognitis satius putaverunt, in urbe eum comprehendi[1]. Quo cum essent profecti, et Pausanias placato Argilio, ut putabat, Lacedaemonem reverteretur, in itinere,

cum jam in eo esset[2] ut comprehenderetur, ex vultu cujusdam ephori, qui eum admoneri[3] cupiebat, insidias sibi[4] fieri intellexit. Itaque paucis ante gradibus quam[5] qui eum[4] sequebantur, in aedem Minervae, quae Chalcioecos (χαλκίοικος) vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus aedis obstruxerunt tectumque sunt demoliti, quo[6] celerius sub divo interiret. Dicitur[7], eo tempore matrem Pausaniae vixisse, eamque jam grandem natu[8], postquam de scelere filii comperit[9], in primis ad filium claudendum[10] lapidem ad introitum aedis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. Cujus mortui corpus[11] cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo[12] qui ad supplicium essent dati[13], displicuit pluribus, et haud procul ab eo loco infoderunt. Inde posterius dei Delphici responso[14] erutus atque eodem loco sepultus est, ubi vitam posuerat.

7. Cimon.

1. Cimōn Miltiadis filius Atheniensis duro admodum initio usus est[1] adulescentiae. Nam cum pater ejus litem aestimatam[2] populo solvere non potuisset ob eamque causam in vinculis publicis[3] decessisset, Cimon eadem custodia tenebatur[4] neque[5] legibus[6] Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, qua pater multatus erat, solvisset[7]. Habebat autem sororem germanam nomine[8] Elpinīcēn. Hujus conjugii[9] cupidus[10] Callias quidam, non tam generosus quam pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam sibi uxorem daret: id si impetrasset[7], se pro illo pecuniam soluturum. Is cum talem conditionem aspernaretur, Elpinice negavit[11] se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniam prohibere posset, seque Calliae nupturam[12], si ea, quae polliceretur, praestitisset.

2. Tali modo custodia liberatus[1] Cimon celeriter ad principatum pervenit. Habebat enim satis eloquentiae[2], summam liberalitatem, magnam prudentiam[3] cum juris civilis tum rei militaris, quod cum patre a puero[4] in exercitibus fuerat versatus[5]. Itaque et populum urbanum in sua tenuit potestate et

apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primum imperator[6] apud flumen Strymŏnem magnas copias Thrācum fugavit, Eïon castellum expugnavit, Scȳrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod contumacius se gesserant, vacuefecit, incolas veteres urbe insulaque ejecit[7], agros civibus divisit[8]. Inde Thēsei ossa, quae in ea insula sepulta erant, Athenas transportavit. Idem[9] insulas nonnullas, quae propter acerbitatem imperii defecerant, ad officium redire coegit, bene animatas confirmavit. Postea apud Eurymedontem, Pamphyliae fluvium, Cypriorum et Phoenīcum classem devicit; eodemque die pari fortuna in terra usus est[10]. Nam hostium navibus captis statim ex classe copias suas eduxit barbarorumque maximam vim[11] uno concursu prostravit (a. 469). Qua victoria magna praeda potitus[12] cum domum revertisset, his ex manubiis Athenarum arx, qua ad meridiem vergit[13], est ornata[14]. Postremo Thasios opulentia fretos[15] fregit.

3. Quibus rebus[1] cum unus in civitate maxime floreret, incidit in eandem invidiam, quam[2] Miltiades pater ceterique Atheniensium principes. Nam eo tempore cum Messēnii tertium bellum paravissent (464—455) Lacedaemoniique auxilium ab Atheniensibus petivissent[3], Cimone suadente[4] auxilia missa sunt. Sed Lacedaemonii cum illorum fidem suspectam haberent[5], supervacaneos esse[6] simulantes a bello eos dimiserunt. Eam ob causam Cimon testarum suffragiis, quod illi ὀστρακισμόν (ostracismum) vocant, decem annorum exsilio multatus est. Forti animo[7] ille invidiae ingratorum civium[8] cessit. Cujus facti celerius Athenienses quam ipsum paenituit[9]. Nam cum bellum inter Lacedaemonios et Athenienses exortum esset atque Lacedaemonii adjunctis Thebanis ad Tanagram oppidum in Boeotia vicissent (a. 457), confestim notae ejus virtutis[10] desiderium consecutum est. Itaque post annum quintum quam expulsus erat[11], in patriam revocatus est. Ille, quod hospitio Lacedaemoniorum utebatur[12], satius existimans contendere Lacedaemonem, sua sponte est profectus pacemque inter duas[13] potentissimas civitates conciliavit (a. 451). Postea Cyprum cum ducentis navibus imperator missus[14], cum majorem partem ejus insulae devicisset, in oppido Citio oppugnando[15] morbo[16]

est mortuus (a. 449). Inde ab illo tempore inter Graecos et Persas pax fuit, quae Cimonis appellari solet[17].

4. Cimonem Athenienses non solum in bello[1], sed etiam in pace[1] diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate[2], cum[3] compluribus locis praedia hortosque haberet, ut[3] nunquam in eis custodem imponeret[4] fructus servandi gratia[5], ne quis[6] impediretur, quominus[7] eis rebus, quibus quisque[8] vellet, frueretur[9]. Semper eum pedisequi cum[10] nummis sunt secuti[11], ut, si quis[6] opis ejus indigeret[12], haberet, quod statim daret[13], ne differendo videretur negare[14]. Saepe, cum[15] aliquem videret minus bene vestitum, suum[16] amiculum dedit. Quotidie sic cena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset[17] in foro, omnes devocaret; quod facere nullo die praetermittebat. Nulli fides[18] ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit; multos locupletavit; complures pauperes mortuos, qui, unde[19] efferrentur, non reliquissent, suo sumtu extulit[20]. Sic se gerendo[21], minime est mirandum, si et vita ejus fuit secura et mors acerba.

8. Bellum Peloponnesiacum.

a. 431—404.

1. Persis devictis[1] Graecia omnis ducibus Lacedaemoniis et Atheniensibus[2] in duas divisa partes ab externis bellis velut in viscera sua arma convertit. Itaque Athenienses pecuniam, quae erat in stipendium Persici belli[3] a sociis collata, Pericle suadente[4] a Dēlo insula Athenas[5] transferunt, ne deficientibus a societate Lacedaemoniis[6] praeda ac rapinae essent. Nec Lacedaemonii quieverunt. Qui[7] cum Messeniorum[8] bello occupati essent, Corinthios et Aeginētas immiserunt, qui bellum facerent[9]. Parvae tunc vires Atheniensium erant, cum classis ad opem Inăro adversus Persas rebellanti ferendam[10] in Aegyptum missa esset. Dum quidquid militum[11] reliquum est Aegīnam insulam occupant[12], Corinthii in Megaridem invadunt. Tum vero senes et pueri, quicunque[13] arma ferre poterant, Myrōnide duce[2] obviam eunt hostesque repellunt. Paulo post[14] Lacedaemoniorum exercitus per Boeotiam proficiscens[15] Athenienses

iter intercludentes[15] vicit ad Tanagram oppidum (a. 457). Lacedaemonii Thēbānis Boeotiorum imperium restituerunt, quod temporibus[16] belli Persici amiserant, et pacti sunt[17], ut illi Atheniensium[8] bellum susciperent, ipsi per Isthmum, Megarensium agros depopulati[18], domum[5] redierunt. Sed victi[19] Thebani Atheniensium partes sequi[20] coacti sunt. Deinde Tolmīdes Peloponnesum classe circumvehens Lacedaemoniorum agros[21] vastavit. His malis fracti Lacedaemonii indutias quinque * annorum, deinde pacem in[22] annos XXX (a. 445) fecerunt[23].

2. Sed tam longum otium inimicitiae non tulerunt. Arma in triginta annos posita jam quinto decimo anno post[1] capta sunt (a. 431). Lacedaemonii rupto foedere[2] fines Atticos rege Archidāmo duce[3] populantur et, ne praedam potius quam pugnam expetisse viderentur[4], hostes ad proelium provocant. Sed Athenienses, cum[5] praeter moenia nihil tenerent, consilio[6] Periclis in aciem non prodierunt, supervacaneam[7] pugnam existimantes, cum ulcisci populationis injuriam sine periculo possent. Naves conscendunt et nihil sentientibus Lacedaemoniis[8] totam Lacōnicam depopulantur.

3. Athenienses ex diutina conclusione[1], cum urbs multitudine hominum ex agris[2] intra muros confugientium conferta esset, gravi pestilentia conflictati sunt. Multi morbo perierunt; ** Pericles quoque, qui et auctoritate et eloquentia et consilio princeps[3] fuit civitatis atque inde ab anno CCCCXLIV quindecim fere annos[4] praefuit et urbanis et bellicis rebus[5], febri correptus est (a. 429). Nec tamen cessatum deinceps ab utrisque est[6], quin aut terra aut mari[7] varia proeliorum fortuna[8] invicem se trucidarent[6]. Quorum proeliorum maxime insignia fuerunt, quae circa Sphactēriam insulam et ad Amphipolim commissa sunt. Postremo fessi tot malis auctore Nīcia[9] pacem in annos L fecerunt, quam non nisi[10] sex annos servaverunt. Nam indutias, quas suo nomine[11] composuerant, ex sociorum persona rumpebant[12], quasi minus perjurii[13] contraherent, si ferentes sociis auxilia, quam si aperto proelio dimicassent. Bellum (a. 415) ab Atheniensibus in Siciliam translatum est, quod[14] priusquam expono, de Alcibiade dicendum est.

9. Alcibiades.

1. In Alcibiade Clīniae filio Atheniensi natura, quid efficere possit[1], videtur experta esse. Constat enim inter omnes[2], * qui de eo memoriae prodiderunt[3], nihil illo fuisse excellentius[4] vel in vitiis vel in virtutibus. Natus in amplissima civitate, summo genere[5], omnium aetatis suae formosissimus, ad omnes res aptus consiliique plenus[6], disertus, ut imprimis dicendo valeret[7], quod tanta erat commendatio oris atque orationis[8], ut nemo ei posset resistere, cum tempus posceret laboriosus, patiens, temporibus callidissime serviens[9], idem[10], simulac se * remiserat neque causa suberat, quare animi laborem perferret[11], luxuriosus, dissolutus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam. Educatus est[12] in domo[13] Periclis (in ejus enim tutela fuisse dicitur[14]), eruditus a Socrate, socerum[15] habuit Hipponīcum, omnium Graeca lingua loquentium ditissimum: ut[16], si ipse fingere vellet[17], neque plura bona comminisci neque majora posset[18] consequi, quam vel natura vel fortuna tribuerat.

2. Bello Peloponnesio[1] hujus consilio atque auctoritate[2] Athenienses bellum Syrăcūsānis intulerunt[3]. Jam enim sexto ejus belli anno Leontīni aliaeque Siciliae civitates a Syracusanis vexatae, suis[4] viribus diffisae auxilium ab Atheniensibus petiverant[5]. Hi seu studio majoris imperii[6], seu metu, ne[7] Lacedaemoniis Syracusanorum vires accederent, classes in Siciliam miserant, ut per speciem ferendi Leontinis auxilii[8] tentarent Siciliae imperium. Sed Sicilienses sive metu Atheniensium[9], sive taedio belli[10] pacem cum Syracusanis, remissis Atheniensium auxiliis, fecerant. Deinde cum fides pacis a Syracusanis non servaretur, Segestani denuo legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo barbaque promissis[11] supplices[12] contionem adeunt[13]; addunt precibus lacrimas ad misericordiam populi commovendam[14]. Alcibiade suadente[15] classis ingens decernitur.

3. Ad quod bellum gerendum[1] (a. 415) ipse dux[2] delectus est, duo praeterea collegae dati[3], Nīcias et Lāmachus. Id cum pararetur[4], priusquam classis exiret, accidit ut una nocte[5] plurimi Hermae, qui in oppido erant Athenis[6], dejicerentur aut mutilarentur. Hoc cum appareret non sine magna multorum consensione esse factum[7], quae ad rem publicam pertineret[8], magnus multitudini timor est injectus[9], ne qua repentina vis in civitate exsisteret[10], quae libertatem opprimeret populi. Hoc in Alcibiadem maxime convenire videbatur, quod et potentior et major quam homo privatus existimabatur[11]. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat[12]. Quare fiebat ut[13] omnium oculos, quotiescunque in publicum prodisset[14], ad se converteret, neque ei par quisquam[15] in civitate poneretur. Itaque non solum spem in eo habebant maximam sed etiam timorem[16], quod et obesse plurimum[17] et prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamiā[18], quod in domo sua[19] facere mysteria dicebatur[20], quod nefas erat more Atheniensium[21], idque non ad religionem sed ad conjurationem pertinere existimabatur[22].

4. Hoc crimine in contione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi[1]. Id ille intuens neque ignorans[2] civium suorum consuetudinem postulabat, si quid[3] de se agi vellent[4], ut potius de praesente[5] quaestio haberetur, quam[6] absens[7] invidiae crimine[8] accusaretur. Inimici vero ejus quiescendum[9] in praesenti, quia noceri[10] ei non posse intelligebant, et illud tempus exspectandum[9] decreverunt, quo exisset, ut absentem[7] aggrederentur. Postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quod sacra violasset, reum fecerunt. Qua de re cum nuntius a magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam[11] rediret, non parere noluit[12] et sua navi vectus[13] una cum triremi, quae ad eum deportandum[14] erat missa, Thūrios in Italiam[15] profectus est. Ibi multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus[16] impendentem evitare tempestatem, clam se ab custodibus subduxit et inde primum in Elidem, deinde Argos venit. Postquam autem se[17] capitis damnatum[18] bonis publicatis[19] audivit et

Eumolpĭdas sacerdotes[21] se[21] devovisse, ejusque devotionis, quo testatior esset memoria[22], exemplum in pila lapidea incisum positum esse in publico[23], Lacedaemonem demigravit. Ibi, ut ipse praedicare consueverat, non adversus patriam sed adversus inimicos suos bellum gessit, quod eidem hostes essent civitati[24]; nam cum intelligerent, se[17] plurimum[25] prodesse posse rei publicae, ex ea illos se[21] ejecisse plusque irae suae quam utilitati communi paruisse[26].

5. At in Sicilia Nicias et Lamachus Syracusas adoriuntur collemque urbi imminentem[1] occupant. Munitionibus deinde circumdatis hostes in urbe clausos[2] etiam marinis commeatibus[3] intercludunt. Quibus rebus[4] fracti Syracusani auxilium a Lacedaemoniis petiverunt. Ab his mittitur Gylippus. Is, auxiliis partim in Graecia partim in Sicilia contractis, opportuna bello loca occupat. Duobus deinde proeliis[5] victus, congressus[6] tertio[7] hostes rejecit et Syracusanos obsidione liberavit[8]. Sed cum Athenienses a bello terrestri in navale se transtulissent, Gylippus classem Lacedaemone cum auxiliis arcessit. Quo cognito[9] ipsi Athenienses Dēmosthenem et Eurymedontem cum supplemento copiarum mittunt. Peloponnesii quoque majora Syracusanis auxilia miserunt, et quasi Graeciae bellum in Siciliam translatum esset, ita ex utraque parte summis viribus dimicabatur.

6. Athenienses navali proelio[1] victi auxiliorum[2] adventu ** confirmantur atque Demosthene suadente Epipolas collem conantur recuperare. Cum etiam terrestri proelio[1] victi essent, tunc Demosthenes censere coepit, ut[3] abirent a Sicilia, dum res quamvis afflictae nondum tamen perditae essent[4]; neque in bello male auspicato[5] amplius esse perseverandum[6]; esse domi[7] graviora et forsitan infeliciora bella, in quae servari hos urbis apparatus oporteret[8]. Nicias seu pudore male actae rei[9], seu metu judicii iraeque civium[9], seu impellente fato[10], ut manerent contendit. Reparatur[11] igitur navale bellum, et * animi militum ad spem certaminis revocantur[12]. Sed inscitia[13] ducum, qui inter angustias maris Syracusanos aggressi sunt, facile vincuntur Athenienses. Eurymedon dux in prima acie fortissime dimicans primus[14] cadit, XXX naves, quibus prae-

fuerat[15], incenduntur. Demosthenes et Nicias ipsi victi exercitum in terram exponunt, tutiorem[16] fugam rati itinere terrestri[17]. Ab his relictas LXX naves Gylippus occupavit, ipsos deinde insequitur, fugientes partim capit partim caedit. Duo[18] imperatores Athenienses captos[19] Syracusani invito Gylippo[20] trucidaverunt, reliquos captivos in lautumias conjecerunt, qui est[21] carcer Syracusis.

7. Dum Athenienses in Sicilia bellum per biennium[1] cupidius quam felicius[2] gerunt, interim concitator ejus Alcibiades Agidem regem Lacedaemoniorum impellit, ut Atheniensibus adverso in Sicilia certamine turbatis ultro bellum inferret[3]. Itaque Lacedaemonii in Atticam irruptionem fecerunt et Decelēam auctore Alcibiade[4] munierunt, praesidioque ibi[5] perpetuo posito in obsidione Athenas tenuerunt. Ejusdem[6] consilio cum rege Persarum amicitiam faciunt. Regnabat tum Darius Nothus (424—405), qui, facta cum Lacedaemoniis per[7] Tissaphernem praefectum Lydiae et Căriae societate[8], omnem sumptum belli se daturum esse[9] pollicitus est. Ipse Alcibiades motum[11] adversus patriam bellum imperatoriis virtutibus adjuvat; acceptis quinque navibus in Asiam contendit et stipendiarias Atheniensium civitates auctoritate nominis sui ad defectionem compellit. Eo tempore multi ab Atheniensibus socii desciverunt; ut fit[11], quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. Itaque Lacedaemonii multo[12] superiores bello[13] esse coeperunt.

8. Neque vero[1] his rebus[2] tam amici Alcibiadi sunt facti[3], quam timore ab eo alienati[4]. Nam cum acerrimi viri[5] praestantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne[6] caritate patriae ductus[7] aliquando ab ipsis descisceret et cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus ejus interficiendi[8] quaerere instituerunt. Id Alcibiades diutius celari non potuit[9]. Erat enim ea sagacitate[10], ut decipi non posset[11], praesertim cum animum attendisset ad cavendum[12]. Itaque ad Tissaphernem praefectum regis Darii se contulit. Cujus[13] cum in intimam amicitiam pervenisset, persuadet[14], ne tanta stipendia classi Lacedaemoniorum praeberet, neve auxiliis nimis enixe Lacedaemonios juvaret[15]. Nam memorem eum[16] esse debere,

alienam[17] se[16] victoriam, non suam instruere, et eatenus[18] bellum sustinendum, ne inopiā deseratur[19]. Nam regem Persarum[20], dissentientibus Graecis[21], arbitrum pacis ac belli[22] fore et quos suis non possit[23], ipsorum armis victurum; confecto autem bello statim ei cum victoribus dimicandum[24]. Domesticis igitur bellis Graeciam obterendam, ne externis vacet, exaequandasque vires partium et inferiores auxilio levandos[24]. Non enim quieturos post hanc victoriam Lacedaemonios, quia vindices[25] se libertatis Graeciae professi essent. Grata oratio Tissapherni fuit. Itaque commeatus maligne praebebat, ne aut[26] victoriam daret aut necessitatem deponendi belli[8] imponeret.

9. Interea Alcibiades hanc operam civibus venditat. Initio[1] cum Pīsandro optimatium fautore, qui in exercitu erat apud Samum, per[2] internuntios colloquitur et de reditu suo facit mentionem. Ab hoc destitutus primum per[2] Thrasybūlum Lyci filium ab exercitu recipitur praetorque fit apud Samum; post suffragante Thērāmene[3] populi scito restituitur parique absens imperio praeficitur[4] simul cum Thrasybulo et Thrasyllo, ad quos postea Theramenes adjunctus est. Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante[5] victores viguerant, perterriti pacem peterent. Victi enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus navalibus. In quibus[6] felicissimum fuerat Alcibiadis ad Cyzicum proelium (a. 410), qua victoria tota hostium classis in Atheniensium venerat potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in ora Thraciae sitae sunt, quarum expugnarant complures, in his Bȳzantium (a. 409), neque minus multas consilio ad amicitiam adjunxerant, quod in captos clementia fuerant usi[7]. Ita maximis rebus gestis[8] praeda onusti Athenas venerunt.

10. His cum obviam universa civitas in Piraeum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis[1], ut ad ejus triremem vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, et adversas superiores et praesentes secundas res accidisse ejus operā. Itaque et Siciliensem calamitatem et Lacedaemoniorum victorias culpae

suae tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent. Neque[2] id sine causa arbitrari videbantur; nam postquam ille exercitui praeesse coeperat[3], neque terra neque mari[4] hostes pares esse potuerant. Ut[5] e navi egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus eisdem rebus praefuerant[6] simulque venerant in Piraeum, tamen unum omnes illum prosequebantur, et, id quod[7] nunquam antea usu venerat nisi[8] Olympiae victoribus, coronis laureis taeniisque vulgo[9] donabatur. Ille lacrimans talem benevolentiam[10] civium suorum accipiebat reminiscens[11] pristini temporis acerbitatem. Postquam in urbem venit, contione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin ejus casui illacrimarit[12] inimicumque[13] eis se ostenderit, quorum operā patria[14] pulsus fuerat, proinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegii damnasset[15]. Restituta ergo huic sunt publice bona eidemque illi Eumolpidae sacerdotes rursus resacrare sunt coacti, qui eum[16] devoverant, pilaque illa, in qua devotio fuerat scripta, in mare praecipitata.

11. Haec Alcibiadi laetitia non nimis fuit diuturna[1]. Nam cum[2] ei omnes essent honores decreti totaque res publica domi bellique[3] tradita, ut unius arbitrio gereretur[4], classe in Asiam profectus, quod minus ex sententia rem gesserat, in invidiam recidit[5]. Interea enim a Lacedaemoniis Lȳsander classi belloque praefectus erat[6], et in locum Tissaphernis Darius rex Persarum filium suum minorem Cyrum Ioniae Lydiaeque praeposuerat, qui Lacedaemonios auxiliis opibusque ad spem fortunae prioris[7] erexit. Aucti igitur viribus[8] classem Atheniensium apud Notium, oppidum propinquum Epheso, dum Alcibiades forte commeatus tributique exigendi causa[9] abest[10], oppresserunt (a. 407). Quibus rebus factum est ut[11] Athenienses Alcibiadi absenti[12] magistratum abrogarent et decem praetores in ejus locum substituerent, arbitrantes, victos[13] se non fortuna belli, sed fraude imperatoris, apud quem plus prior offensa valuisset quam recentia beneficia. Nihil enim eum non[14] efficere posse ducebant[15]. Ex quo fiebat ut[11] omnia minus prospere gesta culpae tribuerent, cum[16] aut negligenter eum aut malitiose fecisse loquerentur; sicut tum accidit. Nam,

corruptum a rege confligere noluisse, voluptatis causa profectum ab Epheso afuisse, arguebant[17]. Itaque huic maxime putamus malo fuisse[18] nimiam opinionem ingenii atque virtutis[19]. Timebatur enim non minus quam diligebatur[20]. Ille ut audivit[21], magistratum sibi abrogatum esse, domum reverti noluit et se Pacty̆en contulit triaque castella in Thracia communivit[22].

12. Interea Conon, unus ex decem praetoribus Atheniensium, a Callicratida, qui post Lysandrum classi Lacedaemoniorum praeerat, in urbe Mytilēnē obsidetur; ad quem liberandum[1] octo praetores celeriter Athenis auxilio missi[2] contra * Mytilenen apud *Arginūsas* insulas classem suam constituunt (a. 406). Neque tamen[3] Callicratidas consilio paruit eorum, qui classem ab Arginusis removendam nec cum Atheniensibus dimicandum[4] putabant. Quibus ille respondit, Lacedaemonios classe amissa aliam parare posse, se[5] fugere sine suo dedecore[6] non posse. Summa vi confligitur; cum casu quodam de nave Callicratidas lapsus[2] in mare perisset, Lacedaemonii victi[2] fugantur. Hoc loco[7] non est praetereunda[8] temeritas populi Atheniensis, qui praetores illos a[9] pulcherrima victoria venientes capitis accusatos[2], quod insepultos reliquissent eos, quos e mari propter vim tempestatis excipere non potuissent[10], innocentes[11] necavit.

13. Anno post[1] (405) cum apud *Aegos flumen* Philocles praetor Atheniensium classem constituisset suam neque longe abesset *Lysander* praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quam diutissime duceret[2], quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur, contra Atheniensibus exhaustis[3] praeter arma et naves nihil supererat, Alcibiades ad exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo[4] agere coepit. Si vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere, spopondit; Lacedaemonios eo[5] nolle classe confligere, quod pedestribus copiis plus quam navibus valerent; sibi[6] autem esse facile Seuthem regem Thracum adducere, ut eos terra[7] depelleret; quo facto[8] Lysandrum necessario aut classe conflicturum, aut bellum compositurum[9]. Id etsi vere dictum esse Philocles * animadvertebat, tamen postulata[10] facere noluit, quod sentiebat,

se[6], Alcibiade recepto[11], nullius momenti[12] apud exercitum futurum et, si quid secundi evenisset[13], nullam in ea re suam partem fore[14], contra, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum[15]. Ab hoc discedens Alcibiades: Quoniam, inquit, victoriae patriae repugnas, illud moneo[16], juxta Sestum castra habeas[17] nautica, ut portu propinquo atque expeditiore commeatu utaris[18]; periculum est enim, ne[19] immodestia militum vestrorum occasio detur Lysandro vestri opprimendi exercitus[20]. Neque ea res illum fefellit[21]. Nam Lysander cum per[22] speculatores comperisset, milites Atheniensium in terram praedatum[23] exisse navesque paene inanes[24] relictas esse, tempus rei gerendae[20] non dimisit eoque impetu bellum totum delevit.

14. Caesi eo proelio omnes sunt aut capti, solus[1] Conon cum suis octo navibus evasit et, crudelitatem civium metuens, ad regem Cyprium concessit Euagoram. Quae clades cum Athenas[2] nuntiata esset, omnes relictis domibus[3] per urbem discurrere[4] pavidi[5]; alius alium sciscitari[4], auctorem nuntii requirere[4]. In forum deinde concurrunt[6] atque ibi per totam noctem fortunam publicam queruntur. Alii fratres aut filios aut parentes deflent, cognatos alii, alii amicos, et cum privatis casibus querelam publicam miscent[7], jam se ipsos, jam patriam perituram, miserioremque incolumium quam occisorum fortunam judicantes[8], sibi quisque ante oculos obsidionem et famem et superbum victoremque hostem proponentes, jam ruinam urbis et incendia, jam omnium captivitatem et miserrimam servitutem cogitatione praecipientes[9], feliciores prorsus priores urbis ruinas ducentes[10], quae incolumibus hominibus[11] tectorum tantum ruinae fuerint. Nunc autem non classem, in quam sicuti pridem confugiant[12], superesse, non exercitum, cujus virtute servati pulchriora possint moenia exstruere.

15. At dux Lacedaemoniorum rebus feliciter gestis[1] captivas naves cum praeda bellica in triumphi modum[2] ornatas mittit Lacedaemonem, stipendiarias Atheniensium civitates recipit atque undique, qui Atheniensium rebus studuissent[3], ejectis[4], decem delegit in una quaque civitate, quibus summum imperium potestatemque omnium rerum permitteret[5], nec aliud quidquam[6] dicionis[7] Atheniensium praeter urbem ipsam reliquit.

Jam urbi hostes superveniunt et obsessos fame urgent. Sciebant enim, neque ex advectis copiis multum superesse, et, ne novae advehi possent[8], providerant. Quibus malis Athenienses fracti post longam famem et assidua suorum funera pacem petiverunt; quae num dari deberet, diu inter Lacedaemonios sociosque deliberatum est. Cum multi delendum Atheniensium nomen[9] urbemque incendio consumendam censerent, negarunt[10] Lacedaemonii, se ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos esse pacemque polliciti sunt, si demissa in Pīraeum versus * muri brachia dejicerent navesque, quae reliquae essent, praeter duodecim traderent, resque publica XXX viris permitteretur. In has leges[11] tradita est urbs Lacedaemoniis.

16. Mutatur[1] status civitatis Atheniensis. Triginta rectores reipublicae constituuntur, qui fiunt tyranni[2]; nam septingentos milites a victoribus accipiunt, quibus continerent civitatem[3]. Praeterea timentes, ne[4] iterum Alcibiades in rem publicam specie[5] liberationis invaderet[6], cum profectum[7] ad Artaxerxem Persarum regem comperissent, miserunt, qui eum interciperent[8].

17. Ille enim victis Atheniensibus cernens nullum locum sibi tutum esse in Graecia propter potentiam Lacedaemoniorum, ad Pharnabāzum in Asiam transierat; quem quidem adeo sua[1] cepit humanitate, ut eum nemo[2] in amicitia[3] antecederet. Nam ei Grȳnium dederat in Phrygia castellum, ex quo quinquagena talenta vectigalis[4] capiebat. Qua[5] fortuna Alcibiades non erat contentus neque Athenas victas Lacedaemoniis servire[6] poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione[7]. Sed videbat id sine rege Persarum non posse fieri[8], ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi[9], neque dubitabat, quin[10] facile id consecuturus esset, si modo ejus conveniendi[11] habuisset[12] potestatem. Nam Cȳrum fratrem ei[13] bellum clam parare Lacedaemoniis adjuvantibus[14] sciebat. Id si aperuisset[15], magnam se ab eo initurum gratiam[16] videbat. *

18. Hoc cum moliretur[1] peteretque a Pharnabazo[2], ut ad regem mitteretur, eodem tempore Critias ceterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent[3], nisi Alcibiadem sustulisset[4], nihil

earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset[5]; quare, si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur[6]. His rebus[7] Laco commotus statuit accuratius sibi agendum[8] cum Pharnabazo. Societatem ergo renuntiat, quae regi cum Lacedaemoniis esset[9], nisi Alcibiadem vivum aut mortuum[10] sibi tradidisset[4]. Satrapes violare clementiam[11] quam regis opes minui maluit. Itaque misit Susamīthren et Bagaeum ad Alcibiadem interficiendum, cum ille esset in Phrygia iterque ad regem compararet[12]. Missi clam vicinitati[13], in qua tum Alcibiades erat, dant negotium ut eum interficiant[14]. Illi cum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eaque succenderunt, ut incendio conficerent[15], quem manu superari posse diffidebant[16]. Ille autem ut sonitu flammae est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit[17]. Nam erat cum eo[18] quidam ex Arcadia hospes, qui nunquam discedere voluerat. Hunc sequi se[19] jubet[20] et id quod vestimentorum[21] praesto fuit, arripit. His in ignem conjectis flammae vim[22] transiit. Quem ut barbari incendium effugisse[23] viderunt, telis eminus missis interfecerunt caputque ejus ad Pharnabazum rettulerunt. At mulier, quae cum eo[18] vivere consuerat, sua veste contectum[24] aedificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter quadraginta quinque natus[25] diem obiit supremum.

19. Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt[1]: Thucydides, qui ejusdem aetatis fuit[2], Theopompus, qui post aliquanto[3] natus est, et[4] Tīmaeus; qui quidem duo maledicentissimi, nescio quo modo, in illo uno laudando consentiunt[5]. Nam ea, quae supra scripsimus, de eo praedicarunt[6] atque hoc amplius[7]: cum Athenis in splendidissima civitate natus esset[8], omnes splendore ac dignitate vitae[9] superasse; postquam inde expulsus Thebas venerit[10], adeo studiis eorum[11] inservisse, ut nemo[12] eum labore corporisque viribus[13] posset aequiperare[14] (omnes enim Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii acumini inserviunt[15]); eundem[16] apud Lacedaemonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur[17], sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque

cultus omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse[18] apud Thrācas, homines vino comissationibusque deditos: hos quoque in his rebus antecessisse; venisse[18] ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter venari, luxuriose vivere[19]: horum sic imitatum esse[20] consuetudinem, ut illi ipsi[21] eum in his maxime admirarentur. Quibus rebus effecisse, ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur habereturque carissimus[22].

10. Triginta tyranni. Thrasybulus.

1. Alcibiade interfecto tyranni ultoris metu liberati[1] servitute oppressas tenuerunt[2] Athenas, plurimos cives, quibus in bello pepercerat[3] fortuna, partim patria expulerunt, partim interfecerunt, bona publicata[4] inter se diviserunt. Quod cum displicere uni ex numero suo, Thērāmeni, intellexissent, ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt. Laudamus hujus animi aequitatem in ipsa morte[5]. Qui cum[6] conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum venenum ut sitiens obduxisset[7], reliquum sic e poculo ejecit, ut id[8] resonaret; quo sonitu reddito arridens[9]: „Propino, inquit, hoc pulchro Critiae", qui in eum fuerat taeterrimus. Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum traditurі sint[10]. Lusit[11] vir egregius extremo spiritu, cum jam praecordiis conceptam mortem contineret[12]; vereque ei, cui venenum praebiberat, mortem eam est auguratus, quae brevi[13] consecuta est. Vadit in eundem carcerem atque in[14] eundem paucis post annis[15] scyphum Socrates, eodem scelere judicum, quo tyrannorum Theramenes[16].

2. Illis caedibus et rapinis cum cives perterriti essent, fit ex urbe passim omnium fuga[1], repleturque Graecia Atheniensium exsulibus[2]. Quod etiam ipsum auxilium cum miseris eriperetur (nam Lacedaemoniorum edicto civitates exsules recipere prohibebantur), omnes se Argos et Thebas contulerunt. Ibi non solum tutum exsilium egerunt, verum etiam spem recuperandae patriae[3] receperunt. Erat[4] inter exsules Thrasybūlus Lyci filius, vir strenuus et domi nobilis. Si per se[5] virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium

ponam[6]; illud sine dubio[7]: neminem huic praefero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore[8]. Sed nescio quo modo[9], cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt[10]. Peloponnesio bello multa una cum Alcibiade praeclare gessit, quorum universum gloriae fructum ille solus percepit[11]. Sed in bellis tamen omnia communia sunt imperatoribus cum militibus et fortuna, quod in proelii concursu abit res a consilio ad vires[12] virtutemque pugnantium. Itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles vindicat[13], fortunaque, se plus valuisse quam ducis prudentiam, vere potest praedicare. Illud vero magnificentissimum factum proprium[14] est Thrasybuli, quod[15] non solum princeps, sed etiam paene solus initio bellum tyrannis indixit patriamque e servitute in libertatem vindicavit.

3. Nam cum Phylen occupavit[1], quod[2] est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum septuaginta[3] fere de suis. Hoc initium fuit salutis Atheniensium[4]. Neque vero non contemptus est primo a tyrannis Thrasybulus atque ejus solitudo[5]. Quae quidem res et illis contemnentibus perniciei et huic despecto saluti fuit[6]; fecit enim illos segnes ad persequendum, hos autem tempore ad comparandum dato[7] robustiores. Quo magis[8] praeceptum illud omnium in animis esse debet, nihil in bello oportere contemni[9]. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctae sunt opes[10]. Nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur quam pugnabant. A[11] Phyle in Piraeum transiit Mūnychiamque munivit[12]. Hanc tyranni sunt adorti, sed turpiter repulsi in urbem armis impedimentisque amissis refugerunt. Usus est[13] Thrasybulus non minus prudentia quam fortitudine. Nam cedentes violari vetuit[14]; cives enim civibus parcere aequum censebat[15]. Neque quisquam[16] est vulneratus, nisi qui prior[17] impugnare voluit. Neminem jacentem veste spoliavit[18], nihil attigit nisi[19] arma, quorum indigebat, quaeque ad victum pertinebant. In eo proelio cecidit Critias dux tyrannorum, cum quidem contra Thrasybulum fortissime pugnaret.

4. Hoc dejecto Pausanias advenit rex Lacedaemoniorum. Is inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus: ne qui[1] praeter triginta tyrannos et unde-

cimviros, qui eorum jussu suppliciis cives affecerant, et decem, qui in Piraeo eadem crudelitate erant usi[2], in exsilium expellerentur, neve[3] bona publicarentur; rei publicae procuratio populo redderetur[4]. Praeclarum hoc quoque Thrasybuli, quod[5] reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset[6], legem tulit[7]: ne quis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur[8], eamque illi oblivionis[9] appellarunt. Neque vero hanc tantum ferendam curavit, sed etiam ut valeret effecit[10]. Nam cum quidam ex eis, qui simul cum eo in exsilio fuerant, caedem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat publice[11], prohibuit et id quod pollicitus erat praestitit.

5. Pro tantis meritis honoris corona ei a populo data est facta duabus virgulis oleaginis[1], quam quod[2] amor civium, non vis expresserat, nullam[3] habuit[4] invidiam. Bene ergo Pittacus ille, qui in septem sapientium numero est habitus[5], cum Mytilenaei multa milia jugerum agri[6] ei muneri darent[7]: Nolite[8], oro vos, inquit, id[9] mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis[10] nolo amplius quam centum jugera, quae et meam animi aequitatem et vestram voluntatem indicent[11]; nam parva munera diutina, locupletia non propria[12] esse consuerunt. Illa igitur corona contentus[13] Thrasybulus neque amplius requisivit neque quemquam[14] honore se antecessisse[15] existimavit. Insequenti tempore cum praetor[16] classem ad Pamphyliam appulisset[17], neque satis diligenter in castris ejus agerentur vigiliae, ab Aspendiis, ex oppido noctu eruptione facta[18], in tabernaculo interfectus est.

---

11. Agesilaus. (III) **

1. Agēsilāus Lacedaemonius cum a ceteris scriptoribus tum eximie a Xenophonte Socratico collaudatus est; eo enim usus est familiarissime. Primum de regno cum Leotychide fratris filio habuit contentionem. Mos enim erat Lacedaemoniis a majoribus traditus, ut[1] duos haberent semper reges, nomine magis quam imperio[2], ex duabus familiis Procli[3] et Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartae reges fuerunt. Horum ex altera in alterius familiae locum regem[4] fieri non licebat.

* Ita utraque suum[5] retinebat ordinem. Primum ratio habebatur, qui[6] maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset[6]. Sin is virilem sexum non reliquisset[6], tum deligebatur, qui proximus esset[6] propinquitate[2]. Mortuus erat[7] Agis rex frater Agesilai. Filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum[8] non agnorat; eundem[9] moriens suum esse dixerat. Is[10] de honore regni cum Agesilao patruo suo contendit, neque[11] id quod petivit[12] consecutus est. Nam Lysandro suffragante[13], homine factioso et his temporibus potente[14], Agesilaus antelatus est.

2. Hic[1] simulatque imperii[2] potitus est, persuasit Lacedae- * moniis, ut exercitum mitterent in Asiam, docens, satius esse in Asia quam in Europa dimicari[3]. Nam fama exierat, Arta- * xerxem comparare classes pedestresque exercitus, quos[4] in Graeciam mitteret. Sed propter responsa oraculi Delphici diu Lacedaemonii, num[5] eum summae rei praeponerent, deliberaverunt; quibus[6] futurus[7] imperii finis denuntiabatur, cum regium claudicasset[8] imperium. Erat enim ille altero pede[9] claudus. Postremo statuerunt, melius esse, incessu[10] regem * quam imperio[10] regnum claudicare. Data potestate Agesilaus tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis perveniret, quam regii satrapae eum scirent profectum. Quo factum est, ut[11] omnes imparatos imprudentesque offenderet. Id[1] ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter praefectos regios habebat, indutias a Lacone petivit simulans, se dare operam, ut Lacedaemoniis cum rege conveniret[12], re autem vera ad copias comparandas, easque impetravit trimestres. Juravit autem uterque, se sine dolo indutias conservaturum[13]. In qua pactione summa fide mansit Agesilaus, contra Tissaphernes nihil aliud[14] quam bellum comparavit. Id[1] etsi sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat multumque in eo se consequi dicebat, quod[15] Tissaphernes perjurio suo et homines a suis rebus abalienaret[16] et deos sibi iratos redderet, se autem conservata religione confirmare exercitum, cum animadverteret, deorum numen facere secum[17] hominesque sibi conciliari amiciores[18], quod eis studere[19] consuessent[20], quos conservare fidem viderent[21].

3. Postquam indutiarum praeteriit dies, barbarus non dubitans, quod ipsius erant plurima domicilia[1] in Cária et ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, quin eo potissimum hostes impetum facturi essent[2], omnes suas copias eo[3] contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se convertit eamque prius depopulatus est, quam Tissaphernes usquam se moveret[4]. Magnā praedā militibus locupletatis, Ephesum hiematum[5] exercitum reduxit atque ibi officinis armorum institutis magna industria bellum apparavit. Et quo[6] studiosius armarentur[7] insigniusque ornarentur[7], praemia proposuit, quibus donarentur[8], quorum egregia in ea re fuisset[9] industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut[10], qui ceteris praestitissent[11], eos[12] magnis afficeret[13] muneribus. His igitur rebus effecit, ut et ornatissimum et exercitatissimum[14] haberet exercitum. Cum tempus esset visum copias extrahere[15] ex hibernis, vidit, si, quo esset iter facturus, palam pronuntiasset[16], hostes non credituros aliasque regiones praesidiis occupaturos neque dubitaturos, quin aliud esset facturus ac[17] pronuntiasset. Itaque cum ille Sardes iturum se dixisset, Tissaphernes eandem[18] Cariam defendendam putavit. In quo cum eum opinio fefellisset[19] victumque se vidisset consilio, sero suis praesidio[20] profectus est. Nam quum illo venisset, jam Agesilaus multis locis expugnatis[21] magna erat praeda potitus. Laco autem cum videret, hostes equitatu superare[22], nunquam in campo sui fecit potestatem[23] et eis locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiae valerent[24]. Acie instructa[25] dimicavit ad Pactōlum fluvium, quo proelio multo majores adversariorum copias in fugam conjecit. Denique sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur.

4. Cum jam animo meditaretur proficisci in Persas[1] et ipsum regem adoriri, nuntius[2] ei domo venit ephororum missu, bellum Athenienses et Boeotos intulisse Lacedaemoniis; quare venire ne dubitaret[3]. In hoc[4] non minus ejus pietas suspicienda est, quam virtus bellica. Qui cum[5] victori praeesset exercitui maximamque haberet fiduciam regni Persarum potiundi[6], tanta modestia dicto audiens fuit absentibus[7] magistratibus, ut si privatus in comitio esset Spartae. Cujus exemplum utinam[8]

imperatores nostri sequi voluissent! Sed illuc redeamus[9]. Agesilaus opulentissimo regno praeposuit[10] bonam existimationem multoque gloriosius duxit, si institutis patriae paruisset, quam si bello superasset[11] Asiam. — Causa Agesilai ex Asia revocandi[12] fuit bellum in Graecia exortum[12] quod Boeotium vocatur[13]. Nam cum Phōcenses et Locri ex[14] controversia finium[15] arma cepissent Thebanique hos adjuvarent, Lysander missus erat, qui finitimarum civitatum copiis contractis[16] Phocenses defenderet. Sequebatur Pausanias rex cum exercitu Peloponnesio. Sed priusquam hic advenit, fit[17] proelium ad Haliartum Boeotiae oppidum (a. 395), quo Thebani auxiliis Atheniensium firmati vicerunt, Lysander interfectus est. Pausanias veritus, ne hostium impetum sustinere non[18] posset, rediit; quam ob causam proditionis accusatus[19] in exsilium abiit. Lacedaemonii metuentes, ne in Asia bellantes domi ab hostibus opprimerentur, regem suum Agesilaum ex Asia ad defendendam patriam arcessunt. Occiso enim Lysandro nullius alterius fiduciam ducis habebant.

5. Thebani rebus feliciter gestis[1] Athenienses, Corinthios, Argīvos socios sibi adjungunt universumque exercitum ad urbem Lacedaemoniorum ducere instituunt, facilem expugnationem rati, quoniam deserti a sociis omnibus erant. At Lacedaemonii conscripto exercitu obviam procedunt et aequo Marte ad Corinthum pugnantes prohibent hostes, dum Agesilaus ex Asia profectus superveniret[2]. Hic Hellespontum copias trajecit[3] tantaque usus est celeritate, ut, quod iter[4] Xerxes quattuor mensibus confecerat, transiret triginta diebus. Per Thraciam proficiscenti[5] cum nuntiatum esset, una illa pugna apud Corinthum commissa[6] plus bina milia[7] hostium cecidisse eoque facto[8] opes adversariorum debilitatas videri, tantum afuit ab insolentia, ut[9] commiseraretur fortunam Graeciae, quod tam multi concidissent; nam illa multitudine, si sana mens esset, Graeciae supplicium Persas dare potuisse[10]. Cum jam Boeotorum fines ingrederetur, perfertur ei nuntius[11], Lacedaemonios victos esse proelio navali apud Cnidum, simulque sol deficit. Quibus rebus ne[12] militum animi[13] terrerentur, vicisse Lacedaemonios jubet pronuntiari ac, tamquam laeto nuntio accepto,

hostiis immolari[14]. Apud Corōnēam (a. 394) obsistere ei conati sunt Thebani ceterique eorum socii. Quos omnes fortiter repugnantes[15] gravi[16] proelio vicit. Hujus victoriae vel maxima fuit laus, quod, cum octoginta ex fuga[17] se in templum Minervae conjecissent quaerereturque ab eo, quid his vellet fieri[18], etsi aliquot vulnera acceperat eo proelio et iratus videbatur omnibus qui arma tulerant, tamen antetulit irae religionem et eos vetuit violari[19]. Neque vero hoc solum in Graecia fecit, ut[20] templa deorum sancta haberet, sed etiam apud barbaros summa religione omnia simulacra arasque conservavit. Itaque praedicabat, mirari se, non sacrilegorum numero haberi[21], qui supplicibus deorum nocuissent[22], aut non gravioribus poenis affici, qui religionem minuerent[23], quam qui fana spoliarent.

6. Post hoc proelium Coronense collatum omne bellum est[1] circa Corinthum ob eamque rem Corinthium est appellatum. * Agesilaus cum adversarios intra moenia compulisset, et, ut Corinthum oppugnaret, multi hortarentur, negavit id suae virtuti convenire[2]; se enim eum[3] esse, qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui urbes nobilissimas expugnaret Graeciae. „Nam si, inquit, eos exstinguere voluerimus[4], qui nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmet ipsi[5] nos expugnaverimus[6] illis quiescentibus. Quo facto[7] sine negotio, cum voluerint[4], nos oppriment." Deinde parvulis per aliquot annos proeliis varie pugnatum est. — (Reliquam Agesilai vitam narrabimus infra pagg. 53. 58. 62.)

12. Conon. (III)

1. Conon Atheniensis Peloponnesio bello[1] accessit ad rem publicam, in eoque[1] ejus opera magni fuit[2]. Praefectus classis res magnas mari gessit. Nam et prudens rei militaris et diligens erat imperator. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello[3] praetor, cum apud Aegos flumen copiae Atheniensium a Lysandro sunt devictae[4]. Nemini erat illis temporibus dubium, si ejus consilium valuisset, quin[5] Athenienses illam calamitatem accepturi non fuerint[6]. Solum eum cum suis octo navi-

bus evasisse et Cyprum confugisse, supra demonstravimus[7]. Rebus Atheniensium afflictis cum[8] patriam obsideri audisset, non quaesivit, ubi ipse tuto viveret[9], sed unde praesidio posset esse civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum satrapam * Phrygiae eundemque[10] regis propinquum. Apud quem ut[11] multum gratia valeret, multo labore multisque effecit periculis[12]. Itaque Pharnabazus Tissaphernis inimicus regem hortatur, ut in locum ejus navalis belli ducem eligat Cononem * Atheniensem, nam Atheniensibus, etsi fractae sint opes, manere tamen usum navalem, nec, si eligendus sit ex universis, meliorem alium esse. Acceptis igitur quingentis talentis jussus est[13] Cononem classi praeficere. Sed Cononem a[14] rebus gerendis seditio militum impedivit, qui cum a praefectis regis fraudarentur stipendio[15], eo instantius debita poscebant, quo graviorem[16] sub severo imperatore militiam sustinebant. Itaque Conon, diu rege per epistulas frustra fatigato, postremo ipse ad eum pergit.

2. Posteaquam Babylonem venit, primum ex more Persarum ad chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat, Tithraustem accessit seque ostendit cum rege colloqui velle. * Nemo enim sine hoc admittitur. „Nulla, inquit ille, mora est; sed tu delibera, utrum[1] colloqui malis, an per litteras[2] agere, quae cogitas. Necesse est[3] enim, si in conspectum veneris[4], venerari te regem (quod *προσκύνησιν* illi vocant). Hoc si tibi grave est, per me nihilo setius[5] editis mandatis[6] conficies, quod studes[7].“ Tum Conon: „Mihi vero, inquit, non est grave quemvis honorem habere regi, sed vereor, ne civitati meae sit opprobrio, si, cum[8] ex ea sim profectus, quae ceteris gentibus imperare consuerit[9], potius barbarorum quam illius more fungar[10].“ Itaque, quae volebat[11], scripta tradidit.

3. Quibus cognitis rex tantum auctoritate ejus motus est[1], ut et Tissaphernem proditionis accusatum[2] hostem judicaret et Cononem Lacedaemonios bello persequi juberet et ei permitteret, ut quem vellet eligeret ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium[3] Conon negavit sui esse consilii[4] sed ipsius, qui optime suos nosse deberet; sed se suadere, ut Pharnabazo id negotii[5] daret. Jam magnis muneribus donatus ad mare est

missus, ut Cypriis et Phoenīcibus ceterisque maritimis civitatibus naves longas imperaret classemque, qua proxima aestate mare tueri posset, compararet, dato adjutore[6] Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Itaque Pharnabazus habitus est imperator, re quidem vera classi praefuit Conon, ejusque arbitrio omnia gesta sunt. Interim Pisander Lacedaemonius ab Agesilao cum exercitu domum proficiscente dux in Asia relictus classem summis viribus instruit, ut fortunam belli mari tentaret. Hunc Conon apud Cnidum (a. 394) adortus magno proelio fugat, multas naves capit, complures deprimit. Qua victoria Graecae in Asia civitates et insulae omnes, quae sub Lacedaemoniorum fuerant imperio, liberatae sunt. Conon cum parte navium in patriam venit, muros dirutos a Lysandro utrosque[7], et Piraei et Athenarum, reficiendos curat[8] pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo acceperat, civibus suis donat.

4. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda quam in adversa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum devicta cum[1] ultum se esse injurias patriae putaret, plura concupivit, quam efficere potuit. Neque tamen ea non[2] pia et probanda fuerunt, quod patriae opes augeri quam regis[3] maluit. Nam cum magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset non solum inter barbaros sed etiam apud omnes Graeciae civitates, clam dare operam coepit, ut Ioniam et Aeolidem restitueret Atheniensibus. Id cum Tīribāzus, qui Sardibus praeerat[4], cognovisset, Cononem comprehensum in vincula conjecit[5]. Inde nonnulli eum ad regem abductum ibique perisse scriptum reliquerunt[6]. Contra Dīnon historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus[7], effugisse scripsit, illud addubitat, utrum Tiribazo sciente an imprudente[8] sit factum. Cypri morbo[9] mortuus est.

13. Iphicrates. (III)

1. Iphicrates Atheniensis non tam magnitudine rerum gestarum quam disciplina militari nobilitatus est[1]. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum vero in bello est versatus, saepe exercitibus praefuit, nusquam culpa male rem gessit, semper consilio vicit tantumque eo valuit[2], ut multa in re militari partim nova attulerit partim meliora fecerit[3]. Nam cum[4] antea ipsi cives pedites gravis armaturae[5] stipendia fecissent, bello Corinthio Athenienses mercennarios plerosque[6] habebant milites, quibus Iphicrates omnibus peltas pro clipeis (a quo peltastae appellabantur) et loricas pro aeneis linteas dedit, ut ad motus concursusque essent leviores. Quo facto expeditiores milites reddidit. Nam pondere detracto, quod aeque corpus tegeret et leve esset, curavit[7]. Hastas et gladios longiores fecit.

2. Apud Corinthum tanta severitate[1] exercitui praefuit, ut nullae unquam[2] in Graecia neque[3] exercitatiores copiae neque magis dicto audientes fuerint[4] duci. Cum praesidio Corinthum teneret et sub adventum hostium ipse vigilias circumiret, vigilem, quem dormientem viderat[5], transfixit cuspide. Quod factum quibusdam tamquam saevum increpantibus, „Qualem[6] inveni, inquit, talem reliqui.“ In eam consuetudinem milites adduxit, ut, cum proelii signum ab imperatore esset datum[7], sine ducis opera[8] sic ordinati consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu moram Lacedaemoniorum interfecit; quod maxime tota[9] celebratum est Graecia. Cum Artaxerxes Aegyptio regi bellum inferre voluit[10], Iphicratem ab Atheniensibus ducem petivit, quem praeficeret exercitui conducticio, cujus numerus duodecim milium[11] fuit. Quem quidem sic omni disciplina militari erudivit[12], ut Iphicratenses appellati[13] apud Graecos in summa laude fuerint[4]. Idem[14] bellum cum Thracibus gessit, Seuthem, socium Athe-

niensium, in regnum restituit; Cotum regem vicit, sed foedere juncto ejus filiam in matrimonium duxit.

3. Fuit autem et animo magno et corpore imperatoriaque forma[1], ut ipso[2] aspectu cuivis injiceret admirationem sui, bonus civis fideque magna[1]. Quod cum in aliis rebus[3] declaravit, tum maxime in Amyntae Macedonis liberis tuendis. Nam Eurydice, mater Perdiccae et Philippi, cum his duobus pueris Amynta mortuo ad Iphicratem confugit ejusque opibus defensa est[4]. Vixit ad senectutem placatis in se[5] suorum civium animis.

Dum[6] illa ad Corinthum geruntur, Artaxerxes rex Persarum cum Antalcida Lacedaemonio legatos in Graeciam mittit, per quos, Lacedaemoniis probantibus atque adjuvantibus, jubet omnes ab armis discedere; qui aliter fecisset[7], eum se pro hoste habiturum[8]; civitatibus libertatem suaque omnia restituenda esse. Fessi tot bellis Graeci cupide paruerunt; Graecae in Asia[9] civitates desertae Persis produntur, Atheniensibus Lemnus, Imbrus, Scyrus insulae addicuntur, ceterae civitates et insulae sui juris fiunt[10].

Itaque eodem fere tempore in Graecia pax Antalcidēa conciliata (387), in Italia urbs Roma a Gallis capta est (389).

14. Pelopidas et Epaminondas. (III)

(Chabrias. Timotheus.)

1. Lacedaemonii, regis Persarum opera et auctoritate velut patroni Graeciae constituti, libertatis civitatum defendendae specie insidiabantur eis, qui ipsorum imperio obstare viderentur. Mantinēam Arcadum urbem expugnant atque diruunt; cives in quattuor vicos demigrare cogunt. Plataeas bello Peloponnesiaco dirutas, urbem et Atheniensibus et Thēbanis infestam, restituunt. Olynthum, Chalcidices civitatem, et suis et * sociorum opibus crescentem obsident. Phoebidas Lacedaemonius cum exercitum Olynthum duceret iterque per[1] Thēbas faceret, arcem oppidi, quae Cadmēa nominatur, occupavit im-

pulsu paucorum Thebanorum[2], qui, adversariae factioni quo facilius resisterent, Laconum rebus studebant[3], idque suo privato non publico fecit consilio[4]. Quo facto[5] eum Lacedaemonii ab exercitu removerunt pecuniaque multarunt[6], neque tamen arcem Thebanis reddiderunt, quod susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri, quam liberari[7]. Nam post Peloponnesium bellum Athenasque devictas cum Thebanis sibi rem esse existimabant et eos esse solos, qui resistere auderent. Hac mente amicis suis summas potestates dederant alteriusque factionis principes alios[8] interfecerant, alios in exsilium ejecerant. In quibus Pelopidas pulsus patria carebat[9].

2. Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo[1] sequerentur otium, sed ut, quemcunque locum fors obtulisset, eo * patriam recuperare niterentur[2]. Itaque cum tempus esset visum rei gerendae[3], communiter cum eis, qui Thebis idem sentiebant[4], diem delegerunt ad inimicos opprimendos civitatemque liberandam eum[5], quo magistratus una consuerant[6] epulari. Magnae saepe res non ita[7] magnis copiis sunt gestae, sed profecto nunquam ab tam tenui initio[8] tantae opes sunt profligatae. Nam duodecim[9] adulescentuli coierunt ex eis, qui exsilio erant multati, cum omnino non essent amplius[10] centum, qui tanto se offerrent[11] periculo. Qua paucitate percussa est Lacedaemoniorum potentia[12]. Neque enim magis[13] adversariorum factioni quam Lacedaemoniis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Graeciae. Illi duodecim, quorum dux erat Pelopidas, cum canibus venaticis Athenis exierunt retia ferentes vestitu agresti, quo[14] minore suspicione facerent iter. Qui cum sub vesperum Thebas pervenissent, domum Charonis deverterunt[15], a quo et tempus et dies erat datus.

3. Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum ab re proposita est[1], nimia fiducia quantae calamitati soleat esse[2]. Nam magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit[3], exsules in urbem venisse. Id illi vino epulisque dediti usque eo despexerunt, ut ne quaerere quidem de tanta re laborarent. * Accessit, quod etiam magis aperiret[4] eorum dementiam. Allata est enim epistula Athenis uni ex his, Archiae, qui tum summum magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione

exsulum perscripta erant. Quae cum jam accubanti[5] in convivio esset data, sicut erat signata sub pulvinum subjiciens „In crastinum, inquit, differo res serias.“ At illi omnes, cum jam nox processisset, vinolenti ab exsulibus duce Pelopida sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato[6], non solum qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris concurrerunt, praesidium Lacedaemoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberarunt, auctores[7] Cadmeae occupandae partim occiderunt partim in exsilium ejecerunt.

4. Jam media hieme Cleombrŏtus rex Lacedaemoniorum in Boeotiam invadit, quem paulo post altero exercitu coacto Agesilaus secutus est. Sed cum Thebani fortiter resisterent, Athenienses ad eorum partes aperte transierunt auxiliaque Chabria duce miserunt. Hic vir in summis habitus est ducibus resque multas memoria dignas[1] gessit. Sed ex his elucet maxime inventum ejus in proelio[2], quod apud Thebas fecit, cum Boeotiis subsidio venisset. Nam in eo, fugatis jam conducticiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit[3] cedere obnixoque genu scuto[4], projecta hasta impetum excipere hostium docuit. Id novum[5] Agesilaus intuens progredi non est ausus suosque jam incurrentes tuba revocavit. Hoc adeo tota Graecia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit[6], quae publice ei ab Atheniensibus in foro constituta est.

Neque meliore belli fortuna Lacedaemonii insequentibus annis usi sunt[7]. Magnam mari cladem idem[8] Chabrias ad Naxum eis intulit eamque insulam et Cyprum et alias multas[9] civitates maritimas Atheniensium societati adjunxit.

5. Deinde Tīmotheus Cononis filius Atheniensis classi praefectus circumvehens[1] Peloponnesum Laconicen populatus[1] classem eorum fugavit, Corcȳram sub imperium Atheniensium redegit[2], sociosque idem[3] adjunxit Ēpīrōtas omnesque eas gentes, quae ad mare illud adjacent[4]. Quo facto[5] Lacedaemonii de diutina contentione destiterunt et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum[6] concesserunt. Neque tamen[7] arma deposita sunt. Tandem postquam Timotheus et Iphicra-

tes identidem res mari bene gesserunt[8], Atheniensibus ipsis rogantibus ad pacem constituendam omnium civitatum convenerunt[9] Spartam legati. Coram hoc frequentissimo legationum conventu Epamīnōndas Thebanorum legatus sic Lacedaemoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concusserit[10] quam postea armis. Tum enim perfecit, quod quidem post apparuit, ut Lacedaemonios injuste imperantes repente omnes fere socii desererent spectatoresque se otiosos praeberent Leuctricae calamitatis.

6. Thebis foedere exclusis cum[1] Cleombrotus rex Lacedaemoniorum copias in Boeotiam duceret, multae eodem tempore et Lacedaemoniis et Thebanis ante Leuctricam pugnam rerum futurarum significationes factae sunt. Thebis in templo Herculis valvae clausae repagulis subito se ipsae[2] aperuerunt armaque, quae fixa in parietibus fuerant[3], ea sunt humi[4] inventa. Quod Epaminondas cum exercitu proficiscens ita interpretatus est, ut deos iter suum sequi diceret, ut proeliantibus ipsis adessent. Cumque eodem tempore apud Lebadīam Trophōnio res divina fieret, galli gallinacei in eo loco sic assidue canere coeperunt, ut nihil intermitterent; tum augures dixisse Boeotios ferunt, Thebanorum[5] esse victoriam, propterea quod avis illa victa silere soleret, canere, si vicisset[6]. Eadem tempestate multis signis Lacedaemoniis Leuctricae pugnae calamitas de-* nuntiabatur. Namque in Lysandri statua, quae Delphis stabat, in capite corona subito exstitit ex asperis herbis et agrestibus; — stellaeque aureae, quae Delphis erant a Lacedaemoniis positae post navalem illam victoriam Lysandri, qua Athenienses conciderunt, — (qua in pugna quia[7] Castor et Pollux cum[8] Lacedaemoniorum classe visi esse dicebantur, eorum insignia deorum, stellae aureae, quas dixi[9], Delphis positae sunt) — eae paulo ante Leuctricam pugnam deciderunt neque repertae sunt. Tum in Herculis fano arma sonuerunt Herculisque simulacrum multo sudore manavit[10]. Maximum vero illud portentum isdem[11] Spartiatis fuit, quod, cum oraculum ab Jove Dōdōnaeo petivissent de victoria sciscitantes, legatique vas illud, in quo inerant sortes, collocavissent, simia, quam rex Molossorum in deliciis habebat[12],

et sortes ipsas et cetera, quae erant ad sortem parata, disturbavit et aliud alio[13] dissipavit. Tum ea quae praeposita erat oraculo sacerdos dixisse dicitur, de salute Lacedaemoniis esse, non de victoria cogitandum.

7. Tamen Cleombrotus invidiam timens (credebatur enim Thebanis amicior[1] esse) temere cum Epaminonda conflixit apud Leuctra (a. 371). In hac pugna[2] imperatore Epaminonda Pelopidas fuit dux delectae manus, quae prima phalangem prostravit Laconum. Pugna decernitur maxime Epaminondae virtute imperatoria, qui acie oblique instructa Lacedaemoniorum disciplinam ac fortitudinem superavit. Quadringenti Spartiatae cum rege Cleombroto et mille Lacedaemonii occisi sunt. Hac plaga pestifera apud Leuctra accepta[3] Lacedaemoniorum opes corruerunt.

Maximam sibi subito Thebani pepererunt ex hac victoria tota Graecia gloriam atque dignitatem. Sed cum neque ante Epaminondam ducem[4] ullum memorabile bellum gesserint neque postea virtutibus insignes fuerint[5], manifestum est, patriae gloriam et natam et exstinctam cum eo fuisse. Fuit autem incertum, vir melior an[6] dux esset.

8. De quo priusquam[1] scribimus, haec praecipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant[2], neve[3] ea, quae ipsis leviora sunt[4], pari modo apud ceteros fuisse[5] arbitrentur. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse a principis persona, saltare vero etiam in vitiis poni. Quae[6] omnia apud Graecos et grata et laude digna[7] ducuntur. Cum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitae[8] velimus Epaminondae, nihil videmur[9] debere praetermittere, quod pertineat[10] ad eam declarandam. Quare dicemus primum[11] de genere ejus, deinde[11] quibus disciplinis et a quibus sit[12] eruditus, tum[11] de moribus ingeniique facultatibus[13] et si quă aliă[14] memoriā dignă erunt, postremo[11] de rebus gestis, quae a plurimis animi[15] anteponuntur virtutibus.

9. Natus est igitur patre Polymnide, genere honesto[1], pauper jam a[2] majoribus relictus[3], eruditus autem sic, ut nemo Thebanus. Nam et fidibus canere[4] et cantare ad chordarum

sonum doctus est[5] a Dionȳsio, qui maxima fuit in musicis gloria, canere tibiis[4] ab Olympiodōro, saltare a Calliphrŏne. At philosophiae praeceptorem habuit[6] Lȳsim Tarentinum, Pȳthagorēum. Cui quidem sic fuit deditus, ut adulescens[7] tristem ac severum senem omnibus aequalibus suis in familiaritate anteponeret; neque prius eum a se dimisit, quam[8] in doctrinis tanto[9] antecessit condiscipulos[10], ut facile intelligi posset, pari modo superaturum omnes in ceteris artibus. Atque haec ad[11] nostram consuetudinem sunt levia et potius contemnenda[12]; at in Graecia utique olim magnae laudi erant. Postquam ephēbus est factus et palaestrae operam dare coepit, non tam magnitudini virium servivit quam velocitati. Illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli utilitatem existimabat pertinere. Itaque exercebatur[13] plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad[14] stans complecti posset atque contendere. In armis[15] vero plurimum studii consumebat.

10. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam[1] animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus[2] sapienter utens; peritus belli, fortis manu[3], animo maximo; adeo veritatis diligens[4], ut ne joco quidem mentiretur. Idem[5] continens patiensque admirandum in modum, non solum populi sed etiam amicorum ferens injurias; imprimis commissa celans[6] * quod interdum non minus prodest quam diserte dicere; studiosus audiendi, ex hoc enim facillime disci[7] arbitrabatur. Itaque cum[8] in circulum venisset, in quo aut de re publica disputaretur aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde prius discessit, quam ad finem sermo esset adductus[9]. Paupertatem adeo facile perpessus est, ut de re publica nihil praeter gloriam ceperit[10]. Amicorum in se tuendo caruit[11] facultatibus, ad alios sublevandos saepe sic usus est[12], ut judicari possit[13], omnia ei cum amicis fuisse communia[14]. Nam cum[8] aut civium suorum aliquis ab hostibus esset captus, qui suo se aere redimere non posset, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari[15] non posset, amicorum consilium habebat et, quantum quisque daret[16], pro[17] facultatibus imperabat. Eamque summam cum fecerat[18], adducebat eum, qui quaerebat, ad eos qui conferebant[19], eique ut ipsi numerarent faciebat, ut ille,

ad quem ea pecunia perveniebat[20], sciret, quantum cuique deberet[21].

11. Tentata autem ejus est abstinentia a Diomedonte Cyzicēno. Nam is rogatu Artaxerxis regis Epaminondam pecunia corrumpendum[1] susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit et Mīcythum adulescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam convenit[2] et causam adventus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonti coram „Nihil[3], inquit, opus pecuniā est[4]. Nam si rex ea[5] vult, quae Thebanis[6] sunt utilia, gratis facere sum paratus; sin autem[7] contraria, non habet auri atque argenti satis[8]. Nam orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriae caritate. Tu quod[9] me incognitum[10] tentasti tuique similem[11] existimasti, non miror tibique ignosco; sed egredere propere, ne alios corrumpas, cum me non potueris[12]. Et tu, Micythe, argentum huic[13] redde, aut, nisi id confestim facis[14], ego te tradam magistratui." Cumque Diomedon rogaret, ut tuto exire suaque, quae attulerat[15], liceret efferre, „Istud[16] quidem, inquit, faciam, neque tua causa sed mea[17], ne si tibi sit pecunia ademta[18] aliquis[19] dicat, id ad me ereptum[20] pervenisse, quod delatum[20] accipere noluissem." A quo cum quaesisset, quo se deduci vellet, et ille Athenas[21] dixisset, praesidium dedit, ut tuto perveniret. Neque vero id satis habuit, sed etiam, ut inviolatus navem conscenderet[22], per Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem fecimus, effecit.

12. Fuit etiam disertus, ut nemo[1] ei Thebanus par esset eloquentia[2], neque minus concinnus in brevitate respondendi, quam in perpetua oratione ornatus[3]. Habuit[4] obtrectatorem Meneclīdem[5] quendam et adversarium in administranda re publica, satis exercitatum in dicendo, ut[6] Thebanum scilicet. Nam in illa gente plus inest virium quam ingenii[7]. Is[8] quod in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur[9]. Huic ille „Fallis, inquit, verbo[10] cives tuos, quod[11] a bello revocas. Otii enim nomine servitutem concilias[12]. Nam paritur pax bello. Itaque qui diutina[13] volunt frui, bello[14]

exercitati esse debent. Quare si principes Graeciae vultis esse, castris est vobis utendum[15], non palaestra.“ Idem ille Meneclides cum[8] ei objiceret, quod[16] liberos non haberet neque uxorem duxisset, maximeque insolentiam, quod[17] sibi Agamemnonis belli gloriam videretur consecutus, „At[18], ille, desine, inquit, Meneclida, de uxore mihi exprobrare. Nam nullius in ista re minus uti consilio volo. (Habebat enim Meneclides suspicionem[19] adulterii.) Quod[20] autem me Agamemnonem aemulari[21] putas, falleris[22]. Namque ille cum universa Graecia vix decem annis unam cepit urbem, ego contra una urbe nostra dieque uno totam Graeciam Lacedaemoniis fugatis liberavi.“

13. Idem cum in conventum venisset Arcadum petens, ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent, contraque Callistratus Atheniensium legatus, qui eloquentia omnibus eo praestabat[1] tempore, postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorum, et in oratione sua multa[2] invectus esset in Thebanos et Argivos, in eisque hoc posuisset, animum advertere debere Arcadas, quales[3] utraque civitas cives procreasset, ex quibus[4] de ceteris possent judicare: Argivos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem[5] matricidas; Thebis Oedipum natum, cum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasse[6]: huic in respondendo Epaminondas, cum de ceteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria pervenit, admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverterit[7], innocentes[8] illos natos domi[9], scelere admisso cum patria essent expulsi, receptos esse ab Atheniensibus[9].

14. Sed ad res gestas veniamus[1]. De pugna Leuctrica supra dictum est. Post cladem illam Lacedaemonii vel in Peloponneso principatum aegre retinuerunt. Arcades rebellantes Mantineam oppidum a Lacedaemoniis dirutum restituunt atque novam urbem, Megalopolin, ad quam condendam complures[2] civitates ex publico consilio contributae sunt[3], tamquam communem arcem contra Lacedaemonios constitutam communire coeperunt Thebanorum auxilio confisi[4]. Thebani[5], ut Arcades adjuvarent, Epaminonda duce hieme irrumpunt in Peloponnesum. Cum[6] per quinquaginta fere annos nullus unquam[7] hostis terram Laconicam intravisset, Thebani primi in eam invaserunt;

agros depopulati Messenios in libertatem vindicant, ipsam urbem Spartam aggrediuntur. Cum Epaminondas Spartam oppugnaret essetque sine muris oppidum, **Agesilaus** talem se imperatorem praebuit[8], ut eo tempore omnibus appareret, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse[9]. In quo quidem discrimine celeritas ejus consilii[10] saluti fuit universis. Nam cum quidam adulescentuli hostium adventu perterriti ad Thebanos transfugere vellent et locum extra urbem editum cepissent, Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret[11], si animadversum esset[12], quemquam ad hostes transfugere conari, cum suis eo venit atque, ut si bono animo fecissent[13], laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent; id se quoque fieri debere animadvertisse. Sic adulescentes simulata laudatione recuperavit et adjunctis[14] de suis comitibus locum tutum reliquit. Namque illi aucti numero eorum, qui expertes erant consilii[15], commovere se non sunt ausi eoque libentius, quod latere arbitrabantur, quae cogitaverant[16].

15. Subsidio Lacedaemoniis venit Atheniensium manus **Iphicrate** duce, qui Epaminondae impetum retardavit. Nam nisi ejus adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent[1].

At Epaminondas imperator cum collegis, quos[2] duos habebat, quorum alter erat Pelopidas, criminibus adversariorum in periculum capitis adductus est. Nam cum imperii tempore exacto in eorum locum alii praetores creati essent, Epaminondas populi scito non paruit, idemque ut facerent persuasit collegis, et bellum, quod susceperat, gessit[3]. Nam animadvertebat, nisi id fecisset[4], totum exercitum propter praetorum imprudentiam inscitiamque belli periturum. Lex erat Thebis, quae morte multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege praefinitum esset[5]. Hanc Epaminondas cum rei publicae conservandae causa latam videret, ad perniciem civitatis conferri[6] noluit et quattuor mensibus[7] diutius, quam populus jusserat, gessit imperium.

16. Postquam domum reditum est[1], collegae ejus hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit, ut[2] omnem causam in se transferrent, suaque opera factum contenderent, ut legi

non[3] oboedirent. Qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet[4]. At ille in judicium venit, nihil eorum negavit, quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est neque recusavit, quominus[5] legis poenam subiret, sed unum ab eis petivit, ut in sepulcro suo inscriberent[6]: „Epaminondas a Thebanis morte multatus est, quod eos coëgit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante eum imperatorem[7] nemo Boeotorum ausus est aspicere in acie, quodque uno proelio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiam universam Graeciam in libertatem vindicavit eoque res perduxit, ut Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent[8], neque prius bellare destitit, quam[9] urbem eorum obsidione clausit.“ Haec cum dixisset, risus omnium cum hilaritate[10] coortus est, neque quisquam[11] judex ausus est de eo ferre suffragium. Sic a judicio capitis maxima discessit gloria[12].

17. Anno insequenti Epaminondas iterum exercitui praefectus[1], cum Lacedaemonii ad Isthmum vallo ducto[2] Peloponnesum tuerentur, paucorum operā levis armaturae[3] tota nocte vexavit hostem, deinde prima luce universum exercitum, quem quietum habuerat, admovit et per ipsa munimenta destituta a propugnatoribus irrupit; agros Epidauriorum vastavit, Pellēnaeos et Sicyonios Thebanorum partes sequi[4] coëgit. Deinde Pelopidas legatus in Persas profectus est, ut regis Persarum opera pacem componeret ea conditione, ut Messenii libertatem ac suas leges haberent[5]. Sed Lacedaemonii, Dionysii Syracusani auxiliis adjuti, repudiaverunt eam conditionem atque Arcades proelio lacessiverunt, quod ἄδακρυ appellaverunt, cum, ne uno quidem milite occiso[6], incruentam ex Arcadibus victoriam reportavissent. Neque postero anno, cum Epaminondas tertiam incursionem fecisset in Peloponnesum atque Corinthii, Phlīāsii, Argivi pacem fecissent cum Thebanis, Lacedaemonii, ut ad pacis conditiones descenderent[7], adduci potuerunt.

18. Tanta vero fuit tum Thebanorum tota Graecia auctoritas, ut Alexander, Macedonum rex, pacem cum eis reconciliaret triginta obsidibus missis, inter quos fuit Philippus frater regis. Cognoverant enim Macedones, quantum Thebani possent, bello,

quo Thessălis contra Alexandrum, qui apud Pheraeos in Thessalia tyrannidem occuparat, auxilium tulerant. Pelopidas enim cum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere legationisque jure satis tectum se arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuesset[1], a tyranno Alexandro Pheraeo simul cum Ismēnia legato comprehensus[2] in vincula conjectus est. Tum Epaminondas eum recuperavit bello persequens Alexandrum. Post illam perfidiam nunquam Pelopidas animo placari potuit in eum, a quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis, ut subsidio Thessalis proficiscerentur tyrannosque expellerent. Cujus belli cum ei summa esset data eoque cum exercitu profectus esset, non dubitavit[3], simulac conspexit hostem, confligere. In quo proelio Alexandrum ut animadvertit, incensus ira equum in eum concitavit[4] proculque digressus a suis telis confossus concidit. Atque hoc secunda[5] victoria accidit; nam jam inclinatae erant tyrannorum copiae. Quo facto omnes Thessaliae civitates interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis aëneis liberosque ejus multo agro donarunt. Sic obiit Pelopidas, altera persona[6] Thebis, sed tamen secunda ita ut proxima esset Epaminondae.

19. Anno 362 quartum Epaminondas maximo exercitu impetum in Peloponnesum fecit, ut Arcades liberaret. Cum Mantineam oppidum a Lacedaemoniis captum oppugnaret, ratus posse Lacedaemonem occupari, si clam Agesilao, qui apud Mantineam castra habebat, profectus esset, nocte crebros ignes fieri jussit[1], ut specie remanendi occultaret profectionem. Neque tamen aggredi incautos potuit; quippe senes et cetera imbellis aetas, cum adventum hostium praesensissent, armati occurrunt pugnaeque se offerunt, aut vincendum sibi aut moriendum censentes. Pauci igitur senes sustinuere aciem, donec Agesilai adventu nuntiato Thebani recesserunt.

20. Apud Mantinēam depugnatum est. Ipse Epaminondas imperator cum instructa acie audacius instaret hostibus, graviter vulneratus est; nam cum cognitus esset a Lacedaemoniis, quod in unius ejus pernicie patriae salutem sitam putabant, universi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt, quam[1] magna caede facta ipsum Epaminondam

fortissime pugnantem jaculo eminus percussum concidere viderunt. Hujus casu aliquantum retardati sunt Boeotii, neque tamen prius pugna excesserunt, quam[1] repugnantes profligarunt. At Epaminondas cum animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset[2], animam statim emissurum, usque eo retinuit, quoad renuntiatum est vicisse Boeotios. Id postquam audivit „Satis, inquit, vixi. Invictus enim morior, orbus quoque, non tamen sine liberis, quoniam filias, Leuctram[3] et Mantineam, relinquo". Tum ferro extracto[4] confestim exanimatus est.

21. Quo tempore duce Pelopida exsules Thebas occuparunt et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est caedes civium, domi se tenuit, quod neque malos defendere volebat neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret, namque omnem civilem victoriam funestam putabat. Idem[1], postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugnari coeptum est[2], in primis stetit. Itaque liberatarum[3] Thebarum propria laus est Pelopidae, ceterae fere communes cum Epaminonda. Horum de virtutibus satis erit dictum, si hoc unum adjunxero[4], quod nemo ibit infitias, Thebas et ante hoc imperatorum par nobilissimum et post interitum Epaminondae alieno paruisse imperio, contra, quamdiu illi praefuerint[5] rei publicae, caput fuisse totius Graeciae.

15. Extrema Agesilai vita. (III)

1. Maximis tot bellorum laboribus calamitatibusque confectae reliquae Graeciae civitates pacem faciunt praeter Lacedaemonios libertatem Messeniorum non ferentes. Sed sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se nunquam refecerunt neque pristinum imperium recuperaverunt, quamquam Agesilaus rex non destitit, quibuscunque rebus posset[1] patriam juvare. Nam cum praecipue Lacedaemonii indigerent[2] pecunia, ille omnibus, qui a rege Persarum defecerant, praesidio fuit, a quibus magna[3] donatus pecunia patriam sublevavit. Atque in hoc[4] illud imprimis fuit admirabile, cum[5] maxima munera ei a regibus ac dynastis civitatibusque conferrentur, quod[6] nihil

unquam[7] domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eadem fuit contentus, qua Procles auctor generis fuerat usus. Quam qui intrarat[8], nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat, contra plurima patientiae atque abstinentiae. Sic enim erat instructa, ut in nulla re differret a cujusvis inopis atque privati[9].

2. Atque hic tantus vir ut[1] naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est[2] in corpore fingendo. Nam et statura fuit humili et corpore exiguo[3] et claudus altero pede[4]. Quae res[5] etiam nonnullam afferebat deformitatem, atque ignoti[6], faciem[7] ejus cum intuerentur, contemnebant, qui autem virtutes noverant[8], non poterant admirari satis. Quod ei usu venit, cum senex annorum octoginta subsidio Tacho in Aegyptum isset et in litore cum suis accubuisset sine ullo tecto[9] stratumque haberet tale, ut[10] terra tecta esset stramentis neque huc amplius quam pellis esset injecta[11], eodemque comites omnes accubuissent vestitu humili atque obsoleto[12], ut eorum ornatus non modo in eis regem[13] neminem significaret[14], sed homines esse non beatissimos suspicionem praeberet. Ejus[15] de adventu fama cum ad regios esset perlata, celeriter munera eo cujusque generis sunt allata. Quaerentibus[16] Agesilaum vix fides facta est, unum esse ex eis, qui tum accubabant[17]. Qui cum regis verbis[18], quae attulerant[19], dedissent, ille praeter vitulinam et ejusmodi opsonia, quae praesens tempus desiderabat, nihil accepit, unguenta, coronas secundamque mensam servis dispertiit, cetera referri jussit. Quo facto eum barbari magis etiam contempserunt, quod eum ignorantia[20] bonarum rerum illa potissimum sumpsisse arbitrabantur. Cum ex Aegypto reverteretur venissetque in portum, qui Menelai[21] vocatur jacens inter Cyrēnas et Aegyptum, in morbum implicitus[22] decessit. Ibi eum amici quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt atque ita domum rettulerunt.

16. Bellum sociale. a. 357—355. (III)

1. Vix bellum Thebanum compositum erat, cum[1] Athenienses undique bello premi sunt coepti[2]. Defecerant enim socii, Chii, Cōi, Rhodii, Byzantii, et Philippus Macedo jam tunc valens multa moliebatur. Charēs ad oppugnandam Chium missus[3] male rem gessit. Erat[4] in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteïbat[5], eumque magis milites, quam[6] qui praeerant, suspiciebant. Quae res ei maturavit mortem. Nam dum[7] primus studet portum intrare gubernatoremque jubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Cum enim eo penetrasset, ceterae naves non sunt secutae. Quo facto circumfusus[8] hostium concursu cum fortissime pugnaret, navis rostro percussa coepit[8] sedere. Ipse refugere cum[9] posset, si se in mare dejecisset, quod suberat classis Atheniensium, quae exciperet[10] natantes, perire maluit, quam armis abjectis navem relinquere, qua fuerat vectus. Id ceteri facere noluerunt; qui[11] nando in tutum pervenerunt. At ille praestare[12] honestam mortem existimans turpi vitae comminus pugnans telis hostium interfectus est.

2. In Charete cum non satis esse praesidii[1] putaretur[2], fit Menestheus alterius classis praetor, filius Iphicratis, gener Timothei, et, ut ad bellum proficiscatur[2], decernitur; collegae ei dantur duo usu sapientiaque praestantes, quorum consilio uteretur[2], pater et socer, quod in his tanta erat auctoritas[3], ut magna spes esset, per eos amissa posse[4] recuperari. Qui cum Byzantium profecti essent et eodem Chares, illorum adventu cognito, cum suis copiis proficisceretur, ne quid absente se[5] gestum videretur, accidit, cum ad oppidum appropinquarent, ut magna tempestas oreretur. Quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati[6] suam classem suppresserunt. At ille temeraria usus ratione[7] non cessit majorum natu auctoritati, velut si in sua manu esset fortuna. Quo contenderat, pervenit, eodemque ut[8] sequerentur, ad Timotheum et Iphicratem nuntium misit. Sed male re gesta, compluribus amissis navibus, eo, unde erat profectus, se recipit litterasque Athenas publice

misit[9], sibi proclive fuisse[10] Byzantium capere, nisi a Timotheo et Iphicrate desertus esset. Populus acer, suspicax ob eamque rem mobilis domum eos revocat. Accusantur proditionis. Hoc judicio damnatur Timotheus lisque ejus aestimatur centum talentis[11]. Odio ingratae civitatis coactus Chalcidem se contulit.

3. Post ejus mortem cum populum judicii sui paeniteret[1], multae novem partes[2] detraxit et decem talenta Cononem filium ejus ad muri quandam partem reficiendam jussit dare. Qua in re fortunae varietas est animadversa[3]. Nam quos muros[4] avus Conon ex pecunia a Persis accepta patriae restituerat, eosdem[4] nepos ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatae sapientisque vitae cum[5] multa possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quod ex eo facile conjici poterit[6], quam carus suis fuerit[7]. Cum Athenis adulescens[8] causam diceret, non solum amici privatique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Iason tyrannus Thessaliae, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic cum[9] in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo[10] praesidio venit tantique[11] hospitem fecit, ut mallet se[12] capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse[13].

4. Haec extrema fuit aetas imperatorum Atheniensium, Iphicratis, Chabriae, Timothei[1]; neque post illorum obitum quisquam[2] dux in illa urbe fuit dignus memoria. Confectis Lacedaemoniorum et Thebanorum viribus etiam Atheniensium virtus exstincta est; nam amissis, quibus aemulari[3] consueverant, in segnitiam mollitiamque lapsi[4] non ut olim in classem et exercitus, sed in dies festos apparatumque ludorum reditus publicos effundunt et cum actoribus nobilissimis poetisque theatra celebrant, frequentius scenam quam castra visentes. Tunc vectigal publicum, quo antea milites et remiges alebantur[5], urbano populo dividi[6] coeptum est[7].

Quibus rebus effectum est, ut inter otia Graecorum sordidum et obscurum antea Macedŏnum nomen[8] emergeret et Philippus obses triennio Thebis habitus, Epaminondae et Pelopidae virtutibus eruditus, regnum Graeciae et Asiae cervicibus velut jugum servitutis imponeret.

II. Res Macedonum.

** 17. Philippus rex Macedonum. (III)

A. Bellum sacrum primum sive Phocense.

1. Graeciae civitates dum[1] imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt; nam alii in aliorum exitium ruentes[2], omnibus perire, quod singulae amitterent[3], non nisi[4] oppressae senserunt. Nam Philippus rex Macedŏnum velut a specula quadam libertati omnium insidiatus contentiones civitatum alebat atque auxilium inferioribus ferendo[5] victos pariter victoresque subire regiam servitutem coegit. Causa et origo hujus mali Thebani[6] fuerunt, qui[6] victos armis Lacedaemonios et Phocenses apud Amphictyŏnas, commune Graeciae concilium[7], superbe accusaverunt. Lacedaemoniis crimini dabant[8], quod[9] arcem Thebanam indutiarum tempore occupassent, Phocensibus, quod Boeotiam depopulati essent. Cum judicium arbitrio victorum exerceretur, tanta pecunia damnantur[10], quantam[11] exsolvere non possent. Phocenses igitur cum agris, liberis conjugibusque[12] privarentur, desperatis rebus[13] Philomĕlo duce templum Apollinis Delphis occupaverunt. Inde auro et pecunia locupletati conducto[14] mercennario milite[15] bellum Thebanis, Locrensibus, Thessalis intulerunt. Factum Phocensium tametsi omnes exsecrabantur propter sacrilegium, plus tamen invidiae[16] Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis fecit. Itaque auxilia his et ab Atheniensibus et a Lacedaemoniis missa sunt. Primo igitur
* congressu Philomĕlus hostes castris exuit. Sequenti proelio primus inter confertissimos dimicans cecidit et sacrilegii poenas sanguine luit. In hujus locum dux Onomarchus creatur.

2. Adversus quem[1] Thebani Thessalique Philippum Macedonum regem advocant. Qui[1] cum Methōnen urbem oppugnaret, sagitta in praetereuntem de muris jacta dextrum oculum regis effodit. Quo[1] vulnere non segnior ad bellum factus est. In Thessaliam profectus ab Onomarcho primo[2] quidem superatur. Sed novo exercitu coacto, quasi sacrilegii ultor esset, omnes milites coronas laureas sumere jubet atque veluti deo duce in proelium pergit. Phocenses, insignibus dei conspectis conscientia delictorum territi, abjectis armis fugam capessunt poenasque violatae religionis sanguine et caedibus suis pendunt[3]. Mirum quantum[4] ea res apud omnes nationes Philippo gloriae dedit. Illum[5] vindicem esse sacrilegii, illum ultorem religionum; itaque dignum, qui[6] deis proximus habeatur, per quem[7] deorum majestas vindicata sit. Sed cum Pagasis captis Graeciae finibus appropinquaret, Athenienses, ne in Graeciam transiret, angustias Thermopylarum pari ratione, sicut antea advenientibus Persis, occupaverunt. Eo tempore Dēmosthenes Athenis primam habuit orationem earum, quae Philippicae appellantur, quibus cives excitaret[8] contra imminens a Philippo periculum.

Postea Macedo Olynthios aggreditur. Qui[1] cum Atheniensium implorarent auxilium, primum mercennarii milites, denique Demosthene suadente atque urgente civium exercitus missus est. Neque vero[9] tanta fuerunt auxilia, ut[10] impetum regis propulsarent, qui victis in acie Olynthiis urbem obsidione clausit atque proditione captam funditus evertit. His ita gestis forte evenit, ut[11] eum fratres duo, reges Thraciae, controversiarum suarum judicem eligerent. Sed Philippus ad judicium, veluti ad bellum, inopinantibus fratribus instructo exercitu supervenit regnoque utrumque spoliavit[12].

3. Dum haec aguntur[1], legati Atheniensium petentes pacem ad eum venerunt, inter eos Aeschines et Demosthenes oratores. Quibus auditis ipse legatos Athenas cum pacis conditionibus misit. Pax facta est, in qua Phocenses excepti sunt. Interim ex ceteris quoque Graeciae civitatibus non pacis amore sed belli metu legationes venerunt. Thessali Boeotique orant, ut adversus Phocenses ducem Graeciae se profiteretur; contra

Phocensium legati, adhibitis Lacedaemoniis et Atheniensibus, bellum deprecabantur, cujus ab eo dilationem ter jam emerant. Philippus, secreto auditis utrisque legationibus, his veniam[2] belli pollicetur, illis contra, venturum se auxiliumque laturum. Utrosque vetat parare bellum. Sic variato responso securis omnibus Thermopylarum angustias occupat. Tunc primum Phocenses captos[3] se fraude Philippi animadvertentes ad arma confugiunt. Sed neque spatium erat instruendi belli, nec tempus ad contrahenda auxilia, et Philippus excidium minabatur, nisi fieret deditio. Victi igitur necessitate se dediderunt. Subjectis arma adimuntur, oppidorum muri destruuntur. Decreto Amphictyŏnum Phocensibus e concilio ejectis Philippus in eorum locum recipitur. Qua re quasi portae Graeciae apertae sunt. Duobus annis post[4] ex Amphictyonum decreto in Peloponnesum profectus est, ut Messenios et Argivos ab Lacedaemoniis defenderet[5]. Lacedaemonii, Philippo minitante per litteras, se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt, num[6] se esset etiam mori prohibiturus. Certamen rex vitavit.

4. Reversus in patriam bellum diu dissimulatum Atheniensibus intulit. Nam cum Perinthum et Byzantium illorum socios[1] aggrederetur, Athenienses ruptam esse pacem judicaverunt atque exercitum Phōcione duce Byzantium auxilio miserunt, qui[2] urbem fortissime defendit. Itaque Philippus, ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus teneretur, profectus cum fortissimis Chersonesi urbes expugnare conatur filiumque Alexandrum decem et octo annos natum, ut tiro sub
* patre militiam disceret, ad se arcessit. In Scythiam quoque praedandi causa profectus est; viginti milia puerorum ac feminarum capta, pecoris magna vis, auri argentique nihil[3]. Revertenti[4] ab Scythia Philippo Triballi occurrunt; negant, se transitum daturos, nisi partem praedae accipiant[5]. Hinc jurgium et mox proelium, in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut per corpus ejus equus interficeretur. Cum omnes occisum putarent, praeda amissa est. Ut vero ex vulnere primum[6] convaluit, in Graeciam cum exercitu profectus est ab ipsis Graecis arcessitus.

B. Bellum sacrum alterum sive Locrense.

5. Locrenses Amphissaei ab Amphictyonibus sacrilegii damnati[1], quod agrum Apollinis sacrum occupassent, cum decreto non parerent armisque se defenderent, ad id bellum gerendum Philippus a concilio imperator creatus est[2]. Qui Locrensibus nullo negotio[3] superatis Elatēam oppidum Boeotorum finibus finitimum occupat. Tum denique Athenienses sibi communique Graeciae libertati metuentes[4] Demosthene auctore foedus cum Thebanis ineundum decernunt. Facta igitur inter duas[5] paulo ante infestissimas civitates societate, legationibus Graeciam excitant. Communem hostem, monent, communibus viribus submovendum; neque enim prius cessaturum Philippum, si prospere prima successerint[6], quam omnem Graeciam domuerit[6]. Motae[7] quaedam civitates Atheniensibus se jungunt; quasdam autem ad Philippum belli[8] metus traxit. Acie depugnatum * est ad Chaeronēam in Boeotia a. 338. Philippus memor, sibi esse militem[9] longo usu duratum, Atheniensibus acrem quidem sed inexercitatum et impetu tantum violentum, consulto proeli- * um traxit; moxque, languescentibus jam Atheniensibus, concitatus intulit signa[10] et ipsos[11] cecidit. Non tamen[12] immemores pristinae gloriae ceciderunt; adversis vulneribus[13] omnes loca, quae tuenda[14] a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt. Hic dies universae Graeciae et gloriam dominationis et vetustissimam libertatem finivit.

6. Hujus victoriae[1] Philippus callide dissimulavit laetitiam. Non[2] solita sacra illo die fecit, non ludos inter epulas adhibuit, non coronas aut unguenta sumpsit, et, quantum in illo fuit, ita vicit, ut victorem nemo[3] sentiret. Nec regem se Graeciae, sed ducem appellari jussit[4]. Atheniensibus captivos gratis remisit, et proelio occisorum corpora ad sepulturam dedit. Alexandrum filium cum amico Antipatro, qui pacem cum his amicitiamque jungerent[5], Athenas misit. Thebanis contra non solum captivos, verum etiam interfectorum sepulturam vendidit. Principes civitatis alios securi percussit[6], alios in exilium egit, bonaque omnium occupavit; pulsos amicos in patriam restituit.

7. Compositis in Graecia rebus[1] Philippus omnium civita-

tum legatos ad formandum rerum praesentium statum evocavit Corinthum. Ibi pacis legem universae Graeciae statuit conciliumque omnium, veluti unum senatum, ex omnibus legit[2]. Soli Lacedaemonii et legem et regem contempserunt[3], servitutem, non pacem rati, quae non inter ipsas civitates conveniret[4], sed a victore ferretur. Auxilia deinde singularum civitatum describuntur, sive adjuvandus esset[5] ea manu rex oppugnante aliquo, seu duce illo bellum inferendum. Neque enim dubium erat, quin[6] imperium Persarum his apparatibus peteretur. Summa auxiliorum ducenta milia peditum fuerunt, equitum quindecim milia. Praeterea Macedoniae exercitus erat et domitarum gentium finitimarum copiae. Initio veris partem exercitus in Asiam praemittit. Interea, dum auxilia a Graecia coëunt, nuptias Cleopatrae filiae et Alexandri, quem regem Epiri fecerat, Aegis celebrat. Dies erat pro magnitudine duorum regum, et collocantis filiam et uxorem ducentis, apparatibus insignis. Nec ludorum magnificentia[7] deerat; ad quorum spectaculum Philippus cum sine custodibus medius[8] inter duos[9] Alexandros, filium generumque, contenderet, Pausanias nobilis ex Macedonibus adulescens, nemini suspectus, eum obtruncat diemque laetitiae destinatum foedum luctu funeris facit. Decessit Philippus quadraginta et septem annos natus, cum annos XXV regnasset.

Philippo Alexander filius successit. Imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

---

18. Alexander Magnus.

1. Natus est Alexander ex Olympiade anno a. Chr. n. CCCLVI eadem nocte, qua[1] celeberrimum[2] Dianae Ephesiae templum deflagravit. Exstat epistula Philippi patris, qua[3] Aristoteli philosopho natum esse sibi Alexandrum nuntiavit, in hunc fere modum scripta:

„Philippus Aristoteli salutem dicit.

Filium mihi genitum scito[4]. Quod[5] equidem dis habeo gratiam[6], non tam quia natus est, quam quod contigit, ut[7] nasceretur temporibus vitae tuae. Spero enim fore ut[8] educa-

tus eruditusque abs te dignus[9] exsistat et nobis et futura rerum amplitudine[10]. Vale.*

Postea Philippus philosophum illum praeclarissimum puero doctorem accivit, a quo et agendi acciperet[11] praecepta et eloquendi[12].

2. Multa feruntur ab adulescente dicta aut facta[1], quae magnum animum et excelsum significent[2]. Admonitus, quoniam cursu plurimum valeret, ut inter eos nomen profiteretur, qui Olympiis[3] certaturi essent; magnam inde per[4] Graeciam sibi famam comparaturum[5]: Facerem, inquit, si reges haberem adversarios[6]. — Insigne roboris animique praesentis specimen edidit in domando equo Būcephala[7]. Quem[8] cum nemo satellitum regis moderari posset, Alexander comprehensis habenis[9] ita statuit, ut umbram suam conspicere non posset, qua eum antea esse exterritum observaverat[10]; deinde insilit atque frenis parere cogit. Descendentem pater complexus[11] osculatusque: Majus, inquit, mi fili, imperium tibi quaere; Macedonia enim te non capit. — Bellicis rebus plerumque Alexander, etiam ad Chaeroneam proelio interfuit[12], in quo penes eum victoria stetisse dicitur[13]. In cornu enim, cui praeerat[14], initium vincendi factum est, sacrā Thebanorum cohorte, quae ex lectissimis constabat, profligatā.

3. Postquam Philippus Aegis necatus est, Alexander viginti annos natus regnum adeptus[1] primum orientes[2] nonnullas seditiones exstinxit. Tum in Graeciam improviso celeriusque omnium opinione[3] profectus[1], legatis civitatum singularum Corinthum evocatis[4], perfecit, ut summus Graecorum imperator in patris locum sufficeretur[5]. Forte tum apud Corinthum in Cranēo luco erat[6] Diogenes, qui in tanto hominum concursu unus[7] de Alexandro nihil laborabat. Rex cupidus ejus videndi[8] cum accessisset et rogaret, ut diceret, si quid opus esset[9]: Nunc quidem paululum, inquit Cynicus, a sole! Offecerat videlicet apricanti. Pariter responsum atque hominem admiratus[10] Macedo dixisse fertur[11]: Nisi, mehercule! Alexander essem, Diogenes esse vellem[12].

4. Inchoatum deinde a patre Persicum bellum aggreditur. In cujus apparatu occupato[1] nuntiatur, Athenienses et Thebanos

ab eo defecisse, auctoremque ejus defectionis, magno auri pondere a Persis corruptum, Demosthenem oratorem exstitisse[2], * qui Macedonum deletas esse omnes cum rege copias a Triballis affirmaverit, producto in contionem teste, qui in eo proelio, in quo rex cecidisset, se quoque vulneratum esse diceret. Qua opinione mutatos omnium fere civitatum animos esse[3]; praesidia Macedonum obsideri. Sed rex instructo paratoque[4] exercitu Graecos oppressit.

5. Thebas exercitum convertit indulgentia usurus[1], si paenitentiam invenisset[2]. Sed Thebani armis, non precibus usi sunt[3]. Itaque victi gravissima supplicia experti sunt. In concilio cum de excidio urbis deliberaretur, Phocenses et Plataeenses et Orchomenii, Alexandri socii victoriaeque participes, excidia[4] urbium suarum crudelitatemque Thebanorum referebant; ** vetera eorum studia[5] Persarum increpabant. Itaque urbs diruitur, agri inter victores dividuntur, captivi sub corona veneunt[6]. Solis[7] Pindari vatis posteris penatibusque parci[8] jussit[9]. — Athenienses perterriti missis legatis[10] bellum deprecantur. Quibus auditis Alexander bellum remisit.

6. Graeciae rebus compositis, ineunte vere[1] anni insequentis (a. 334) proficiscens[2] ad bellum Persicum patrimonium omne suum amicis dividit, sibi Asiam sufficere dicens. Etiam milites, obliti[3] omnes conjugum liberorumque et longinquae a domo militiae, Persicum aurum et totius Orientis opes jam quasi suam praedam ducebant[4] nec laborum periculorumque meminerant[5]. Antipatro cum duodecim milibus peditum[6], mille quingentis equitibus[6] domi relicto, ut Macedoniae Graeciaeque rebus praeesset[7], ipse cum milibus circiter triginta peditum, quinque equitum Hellespontum trajecit[8]. Cum naves in Asiam appulisset[9], primus Alexander jaculum in terram jecit armatusque de navi prosiluit atque hostias cecidit precatus, ne se regem illae terrae invitae[10] acciperent. In Ilio quoque ad tumulos heroum, qui Trojano bello[11] ceciderant, parentavit. Cum in Sigēo ad Achillis tumulum adstitisset: „O fortunate, inquit, adulescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris“[12]. Et vere; nam nisi Ilias illa exstitisset, idem tumulus, qui corpus contexerat, nomen etiam obruisset[13].

7. Primum cum hostibus signa contulit[1] apud Granīcum Mysiae amnem (a. 334). Ibi cum Parmenio, ne in conspectu hostium flumen profundum ripisque praeruptis[2] transiret[3], hortaretur, lusit cautum illum amicum rex, cum diceret, erubescendum Hellesponto fore[4], si illo transmisso[5] rivum transire cunctaretur, signoque dato primus omnium cum equitatu flumen perrupit atque in hostes invasit. Acriter pugnantem duo fortissimi hostium duces aggrediuntur, quorum alter gladio galeam ejus discindit. Hunc dum hasta transfigit, alter in nudum caput aversi ictum parabat, cum[6] Clītus animadverso periculo advolat[7], regem clipeo suo tegit, [8]hostis manum gladio praecidit. Fit ingens deinde caedes Persarum, qui virtute Macedonum superati terga verterunt.

8. Post victoriam major pars Graecarum in Asia civitatum ad Alexandrum defecit; Miletum et Halicarnasum expugnavit. Deinde per Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam profectus[1] Gordium urbem petiit, quae sita est in Phrygia majore. Urbe in dicionem suam redacta Jovis templum intrat. Vehiculum, quo[2] Gordius rex vectus esse dicebatur[3], aspexit, in quo jugum erat astrictum nodis in semet ipsos implicatis[4]. Incolis deinde affirmantibus, editam esse oraculo sortem, Asia potiturum[5], qui inexplicabile vinculum solvisset[6], ille solvere aggressus, cum[7] capita lororum intra nodos abscondita reperire non posset: Nihil, inquit, interest, quomodo solvantur[8], gladioque nodum discidit.

9. Interea Darius Codomannus castris ad Babylonem positis, quo majore animo capesseret bellum, universas vires in conspectum dedit et circumdato vallo, quod decem milium armatorum[2] numerum caperet, Xerxis exemplo numerum copiarum iniit[1]. Ab oriente sole ad occidentem agmina, sicuti descripta erant, intravere vallum. Inde emissa occupaverunt Mesopotamiae campos. Cujus tum multitudinis adspectu rex admodum laetus castra ad Euphrāten moveri[3] jubet[4]. Mos est Persarum, orto sole[5] demum procedere. Tum signum e tabernaculo regis bucina dabatur[6]. Super tabernaculum, unde ab omnibus conspici posset[7], imago solis crystallo inclusa fulgebat. Ordo autem agminis erat talis. Ignis, quem ipsi sacrum et aeternum

vocabant, argenteis altaribus[8] praeferebatur. Magi proximi[9] patrium carmen canebant. Magos trecenti et sexaginta quinque juvenes sequebantur[10] purpureis amiculis induti, diebus totius anni pares numero[11]; nam Persis quoque in totidem dies descriptus est annus. Currum deinde Jovis sacrum[12] albi vehebant equi; hos eximiae magnitudinis[13] equus, quem Solis[14] appellabant, sequebatur. Aureae virgae et albae vestes rectores equorum ornabant. Haud procul erant vehicula decem multo auro argentoque caelata. Sequebatur haec equitatus duodecim gentium variis armis et moribus[15]. Proximi ibant, quos Persae Immortales vocant, decem milia; aureos torques, vestem auro distinctam habebant manicatasque tunicas, gemmis etiam adornatas. Exiguo intervallo[16], quos cognatos regis appellant, decem et quinque milia hominum. Haec vero turba, muliebriter propemodum culta, luxu magis quam armis conspicua erat. Doryphŏroe qui vocabantur[17] currum regis anteibant[18], quo ipse eminens[19] vehebatur. Utrumque currus latus deorum simulacra ex auro argentoque expressa[20] decorabant; gemmae distinguebant jugum, ex quo eminebant duo aurea simulacra cubitalia avorum, alterum Nini[21], alterum Bēli. Inter haec aquilam auream pennas extendenti similem collocaverant. Cultus regis inter omnia luxuria notabatur[22]: purpureae tunicae medium album[23] intextum erat, pallam auro distinctam aurei accipitres velut rostris inter se concurrentes adornabant, ex zona aurea acinaces pendebat[24], cujus ex gemmis[25] vagina erat. Cidarim Persae vocabant regium capitis insigne; hoc caerulea fascia * albo distincta ambiebat[26]. Currum decem milia hastatorum sequebantur; hastas argento exornatas, spicula auro praefixa gestabant. Dextra laevaque[27] regem ducenti fere nobilissimi propinquorum comitabantur. Horum agmen claudebatur triginta milibus peditum, quos equi regis CCCC sequebantur. Intervallo[16] deinde unius stadii mater Darii Sisigambis curru[28] vehebatur, in alio[28] erat conjunx. Turba feminarum reginas comitantium equis vehebatur[28]. Quindecim deinde, quas armamaxas[29] appellabant sequebantur. In his erant liberi regis et quae educabant eos[30]. Tum regiae pelices trecentae et sexaginta vehebantur, et ipsae[31] regali cultu ornatuque[32]; post quas pecuniam regis sexcenti muli et trecenti cameli vehebant

praesidio sagittariorum prosequente. Huic agmini proximae[9] propinquorum amicorumque conjuges lixarumque et calonum greges vehebantur. Ultimi erant cum suis quique[33] ducibus milites levis armaturae, qui cogerent agmen[34].

10. Alexander, Ancyrae assumptis[1] qui ex Macedonia nuper advenerant, per Cappadociam profectus Ciliciam petit. Perpetuo jugo Tauri montis praerupti Cilicia includitur, asperi tres[2] aditus et angusti sunt. Alexander per fauces jugi, quae Pylae appellantur, transcendit. Ubi ad urbem Tarsum[3] ventum est[4], quam mediam[5] Cydnus amnis interfluit, regem pulvere ac sudore perfusum invitavit liquor fluminis, ut calidum corpus ablueret. Itaque veste deposita[6] in perfrigidam undam descendit. Vix autem ingressus erat, cum subito horrore artus rigere coeperunt[7] et totum propemodum corpus vitalis calor reliquit. Exspiranti similem ministri manibus excipiunt nec satis compotem mentis[8] in tabernaculum deferunt[9]. Ingens sollicitudo et paene jam luctus in castris erat, cum[10] rex liberius spirare coepit. Allevabat oculos et paulatim redeunte animo circumstantes amicos agnoscebat, laxataque vis morbi videbatur. Animi autem aegritudo corpus urgebat[11]; nam Darium quinto die in Cilicia fore nuntiabatur[12]. Vinctum ergo se tradi et tantam victoriam eripi sibi ex manibus, obscuraque et ignobili morte in tabernaculo exstingui se querebatur[13]. Unus erat ex medicis nomine Philippus, qui solus remedium polliceretur[14]. Interea a Parmenione fidissimo purpuratorum litteras accipit, quibus ei denuntiabat, ne[15] salutem suam Philippo committeret; mille talentis a Dario esse corruptum. Rex epistulam, sigillo anuli sui impresso, sub pulvinum, in quo cubabat, subjecit. Post diem tertium[16] (ita enim medicus praedixerat) accepto poculo epistulam medico tradit atque inter bibendum[17] oculos in vultum legentis intendit. Ut securum conspexit, laetior factus est sanitatemque quarto die recepit.

11. At Darius nuntio de adversa valetudine ejus accepto, Euphraten trajecit exercitum[1], Ciliciam occupare festinans. Jamque Graeci milites a Pharnabazo missi ad eum pervenerant. Hi magnopere suadebant, ut retro abiret camposque Mesopotamiae repeteret; si id consilium improbaret, divideret[2]

saltem innumerabiles copias, ut bellum traheretur. Ad haec Darius Graecis nuntiari jubet[3], ipsum quidem pro benevolentia eorum gratias agere, sed, si retro ire pergat, haud dubie regnum hostibus traditurum[4]. Famā bella stare[5] et eum, qui recedat, fugere credi[6]. Dividi vero copias non posse servato more majorum[7], qui universas vires discrimini bellorum semper obtulerint[8]. Itaque pecunia omni rebusque pretiosissimis Damascum in Syriam[9] cum praesidio militum missis, reliquas copias omnes in Ciliciam duxit, sequentibus agmen conjuge ac matre; virgines quoque cum parvo filio comitabantur patrem.

12. Forte eadem nocte et Alexander ad fauces, quibus Syria aditur[1], et Darius ad eum locum, quem Amānicas Pylas vocant, pervenit. Nec dubitavere Persae, quin[2] Isso relicta, quam ceperant, Macedones fugerent. Motis ergo castris[3] fugientes persequuntur. Alexander laetatus, in illis potissimum angustiis acie decernendum esse[4], milites corpora curare[5] jussit ac de[6] tertia vigilia instructos et armatos esse[7]. Prima luce[8] occupat angustias. Discors Persarum exercitus nec ad unum intentus imperium[9] vario tumultu omnia turbaverat[10], quidquid in illis angustiis adiri poterat[11] impleverant copiae, cornuaque hinc ab jugo hinc a mari[12] stabant. Alexander phalangem in fronte constituit. Dextrum cornu Nīcānor Parmenionis filius tuebatur; huic proximi stabant Coenus et[13] Perdiccas et Meleager et Ptolemaeus et Amyntas, sui quisque[14] agminis duces. In laevo, quod ad mare pertinebat[15], Craterus et Parmenio erant, sed Craterus Parmenioni parere jussus[16]. Equites ab utroque cornu[17] locati. Ante hanc aciem posuerat funditorum manum sagittariis admixtis. Thraces quoque et Crētenses ante agmen ibant. (a. 333.)

13. Jam in conspectu sed extra teli jactum utraque acies erat, cum priores Persae inconditum et trucem sustulere clamorem. Alexander ante prima signa ibat[2] identidem manu suos inhibens, ne cursu exanimati capesserent proelium, et varia oratione, ut cujusque agminis animis aptum erat, milites alloquebatur. Macedones, tot bellorum in Europa victores, ad subigendam Asiam profecti, inveteratae virtutis admonebantur[3]. Cum adierat Graecos[4], admonebat bellorum ab his gentibus

Graeciae illatorum atque Darii prius deinde Xerxis insolentiae, aquam ipsos terramque poscentium[5]. Ab his templa ruinis et igni deleta, urbes eorum expugnatas. Illyrios vero et Thraces rapto[6] vivere assuetos aciem hostium auro purpuraque fulgentem intueri jubebat, praedam non arma gestantem. Irent[7] et imbellibus feminis aurum viri[8] eriperent.

14. Jam ad teli jactum pervenerant, cum[1] Persarum equites ferociter in laevum cornu hostium invecti sunt. Nam Darius equestri proelio decernere volebat, phalangem Macedonici exercitus robur esse ratus. Jamque dextrum Alexandri cornu circumibatur. Quod ubi Macedo conspexit, duabus alis equitum ad jugum montis jussis[2] subsistere, ceteros in medium pugnae discrimen transfert. Collatis signis[3] duae acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent[4], mucrones in ora dirigerent. Collato pede[5], quasi singuli inter se dimicarent[6], in eodem vestigio stabant, donec vincendo locum sibi facerent; tum demum promovebant gradum, cum[7] hostem prostraverant. At fatigatos illos novus excipiebat adversarius; nec vulnerati, ut alias solent[8], acie poterant excedere, cum hostis instaret a fronte[9], a tergo[9] sui urgerent. Alexander non ducis magis quam militis[10] munia exsequebatur, opima spolia caeso rege expetens. Eminebat Darius curru sublimis[11]. Cui cum Alexandrum instare frater Oxathres cerneret, equites, quibus praeerat, ante ipsum currum[12] regis objecit. At Macedones, qui circa regem erant, cohortati inter se cum ipso in equitum agmen irrumpunt. Tum vero * ingens strages erat[13]. Circa currum Darii jacebant nobilissimi duces ante oculos regis caesi, adverso pectore vulneribus acceptis[14]; circa eos cumulata erat peditum equitumque obscurior turba. Macedonum quoque non multi quidem, sed promptissimi tamen caesi sunt; Alexandri[15] dextrum femur leviter mucrone perstrictum est. Jamque qui Darium vehebant equi, confossi hastis et dolore efferati, jugum quatere et regem curru excutere coeperant, cum[16] ille veritus, ne[17] vivus veniret in hostium potestatem, desilit et in equum, qui ad hoc ipsum[18] sequebatur, imponitur[19], insignibus imperii, ne fugam proderent, indecore abjectis. Tum vero ceteri dissipantur[20] et, qua cuique ad fugam patebat via, armis abjectis erumpunt. Alexander

victor instabat fugientibus. Haud amplius regem quam mille equites sequebantur; barbari a tam paucis pecorum modo[21] agebantur atque caedebantur.

15. Jam victor[1] exercitus castra hostium opulentissima intraverat; ingens auri argentique pondus, non belli[2] sed luxuriae apparatum, diripuerunt milites. Ubi ad feminas perventum est[3], omnium oculos animosque in semet averterunt captivae[4] mater conjuxque Darii; illa non majestate solum sed etiam aetate venerabilis; haec insignis formae pulchritudine receperat in sinum filium vixdum sex annos natum[5]. In gremio anūs aviae jacebant adultae duae virgines maerore confectae. Magna circa eam nobilium feminarum turba constiterat[6] evulsis crinibus discissaque veste. Ubi una e captivis amiculum, quod Darius, sicut paulo ante dictum est[7], abjecerat, in manibus ejus, qui repertum[8] ferebat, agnovit rataque, interfecto detractum esse, falsum nuntium mortis ejus attulit, ingens fit gemitus ejulatusque mulierum. Interea Alexander, postquam et nox appetebat[9] et consequendi Darium spes non erat[9], in castra paulo ante a suis capta pervenit. Audito mulierum clamore causaque rei cognita Leonnătum misit, qui vivere Darium et ipsas incolumes fore nuntiaret. Tum demum Darii mater allevari se passa est[10]. Postero die ipse tabernaculum cum[11] Hephaestione intrat. Is omnium amicorum[12] carissimus erat regi et sicut aetate[13] par, ita corporis habitu[13] praestabat. Ergo reginae illum esse regem ratae suo more[14] veneratae sunt. Alterum Alexandrum esse admonita Sisigambis advoluta est[15] pedibus ejus, ignorantiam nunquam antea visi regis excusans[16]. Quam manu allevans rex, Non errasti, inquit, mater, nam et hic Alexander est. Deinde bonum animum habere eas jussit, Darii filium collo suo admovit; atque nihil ille conterritus cervices ejus manibus amplectitur.

16. Darium ad Euphraten contendentem Alexander, id quod[1] crederes[2], persecutus non[3] est, sed nihil antiquius habens, quam ut terris ad mare adjacentibus potiretur[4], Syriam petiit. In itinere illi litterae a Dario redduntur, quibus ut superbe scriptis[5] vehementer offensus est. Praecipue eum movit, quod[6] Darius sibi regis[7] titulum, nec eundem[8] Alexandri no-

mini adscripserat. Postulabat autem magis quam petebat, ut accepta pecunia[9] matrem sibi[10] et conjugem liberosque restitueret; de regno, si vellet, armis contenderet. Ad haec Alexander in hunc fere modum rescripsit:

„Rex Alexander Dario S[11].

Etsi nihil a me impetrare te oportebat[12], utpote qui[13] ne belli quidem in me jura servaveris, cum talentis mille percussorem in me conducere volueris, tamen si veneris[14] supplex[15], et matrem et conjugem et liberos sine pretio te recepturum esse promitto. Et vincere[16] et consulere victis scio. Quodsi[17] te committere nobis times, dabimus fidem, impune te venturum. Ceterum, cum mihi scribes[18], memento[19] non solum regi te, sed etiam tuo scribere." — Ad hanc epistulam perferendam Thersippus est missus.

17. Ipse in Phoenīcen descendit et oppidum Byblum traditum[1] recepit. Inde ad Sīdōnem ventum est[2], urbem vetustate famaque conditorum claram. Sidonii quoque deditionem faciunt. Jam tota Syria et Phoenice, excepta Tyro, Macedonum[3] erat, habebatque rex castra in continenti, a qua urbem angustum fretum dirimit. Cum coronam auream Tyrii dono[4] misissent commeatusque large et hospitaliter ex oppido advexissent, ille dona, ut ab amicis, accipi jussit, benigneque legatos allocutus, Herculi, quem praecipue Tyrii colerent, sacrificare velle se dixit; Macedonum reges credere, ab illo deo ipsos genus ducere[5], se vero, ut id faceret, etiam oraculo monitum esse. Legati respondent, esse templum Herculis extra urbem in ea sede, quam Palaetyron ipsi vocent; ibi regem deo sacra rite facturum esse. Non tenuit iram, cujus potens[6] non * erat. Itaque, Vos quidem, inquit, fiduciā loci[7], quod insulam incolitis, pedestrem hunc exercitum spernitis; sed brevi ostendam, in continenti vos esse. Proinde scitote[8], aut intraturum me urbem, aut oppugnaturum. Tyrii loco satis fisi[9] obsidionem ferre decreverunt[10]. Namque urbem a continenti quattuor stadiorum[11] fretum dividit, quod Africo maxime objectum[12] crebros ex alto[13] fluctus in litus evolvit; muros turresque urbis praealtum mare ambiebat, non tormenta nisi[14] e navibus procul mitti, non scalae moenibus applicari poterant. Con-

firmant animos Tyriorum[15] Carthaginiensium legati, qui ad celebrandum sacrum anniversarium more patrio[16] tunc venerant. Carthāginem enim Tyrii condiderunt, ob eamque rem semper parentum loco[17] culti sunt. Hortari ergo Poeni coeperunt, ut obsidionem forti animo paterentur, brevi Carthagine auxilia ventura esse. Nam eo tempore magna ex parte[18] Pūnicis classibus maria obsidebantur. Sed domestico bello Poenos impediri paulo post nuntiatum est.

18. Interea Macedones insulam cum continenti mole jungere parabant. Magna vis saxorum ad manum erat, Tyro vetere praebente, materia ex Libano monte ad rates et turres faciendas advehebatur. Jamque paulum moles ex aqua eminebat urbique admovebatur, cum Tyrii parvis navigiis opus circumire coeperunt missilibusque eos, qui pro opere[1] stabant, lacessere. Rex igitur coria velaque jussit munientibus obtendi, ut extra teli jactum essent, duasque turres ex[2] capite molis erexit, e quibus in subeuntes scaphas tela ingeri possent. Contra Tyrii navem magnitudine eximia[3], saxis arenaque a puppi[4] oneratam, ita ut multum prora emineret, bitumine ac sulphure illitam remis incitaverunt et in molem impulerunt. Tum prorā ejus * accensā remiges desiluerunt in scaphas, quae ad hoc ipsum[5] * praeparatae sequebantur. Navis autem igne concepto latius fundere incendium coepit, quod turres et cetera opera in capite molis posita comprehendit. Nec incendio solum opera con* sumpta sunt, sed forte eodem die vehementior ventus motum ex profundo mare illisit in molem, crebrisque fluctibus com* pages operis verberantibus mediam[6] molem unda perrupit.

19. Rex novam molem orsus[1] in adversum ventum recta fronte[2] direxit, quae cetera opera tueretur[3]; latitudinem quoque aggeri adjecit[4]. Nec Tyrii, quidquid ad impediendum opus excogitari poterat[5], segniter[6] exsequebantur. Jam dubius erat Alexander, utrum perseveraret an[7] abiret, cum classis Cypro advenit centum et nonaginta navium[8]. Postero die classe ad moenia admotā undique tormentis atque arietibus muros quatit[9]; quos[10] Tyrii raptim obstructis saxis refecerunt. Ad implicanda navigia, quae muros subibant, validos asseres tormento promotos injiciebant. Unci quoque et falces ex[11] asseribus

dependentes aut propugnatores aut ipsa navigia lacerabant. Clipeos vero aereos multo igne torrebant, quos repletos[12] fervida arena caenoque cocto e muris subito devolvebant. Nec ulla[13] pestis magis timebatur; nam ubi per loricam ad corpus fervens arena penetraverat[14], nec ulla vi excuti poterat et, quidquid attigerat[15], adurebat.

20. His rebus rex fatigatus statuerat soluta obsidione[1] Aegyptum petere. Sed ne quid[2] inexpertum relinqueret, plures naves urbi admoveri jubet delectosque milites imponi[3]. Pugna in alto[4] commissa; fusi Tyrii portum repetunt. Confestim rex insecutus[5] naves omnes fere aut demersit aut cepit. Jamque crebris arietibus saxorum compage laxatā munimenta defecerant, et classis intraverat portum, et quidam[6] Macedonum in turres hostium desertas invaserant, cum Tyrii, tot simul malis victi, alii[7] supplices in templa confugiunt, alii[7] foribus aedium obseratis sibi ipsi mortem consciscunt[8], nonnulli ruunt in hostes haud inulti tamen perituri[9], magna pars summa[10] tecta obtinebat, saxa et quidquid fors in manus dederat[11] ingerentes in subeuntes. Alexander, exceptis qui[12] in templa confugerant, omnes interfici ignemque tectis injici jubet[8]. Sex milia armatorum[13] trucidata sunt, duo milia, quibus ferrum pepercerat[14], crucibus affixi[15]. Tyrus septimo mense, quam oppugnari coepta erat[16], capta est, urbs et vetustate originis et fortunae varietate insignis. Condita ab Agēnore Neptuni filio diu mare non vicinum modo, sed quodcunque classes ejus adierunt[17], dicionis suae fecit[18]. Et si famae libet credere, haec gens litteras prima didicit[19] aliosque docuit[20]. Coloniae certe ejus paene orbe toto[21] diffusae sunt, Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gādes ad Oceanum.

21. Iisdem fere diebus Darii litterae allatae sunt tandem ut regi[1] scriptae. Petebat, uti filiam suam (Statirae[2] erat nomen) Alexander uxorem duceret; dotem offerebat omnem regionem inter Hellespontum et Halyn amnem sitam; terris inde ad Orientem spectantibus contentum se fore. Alexander iis, qui litteras attulerant[4], respondit, Darium sibi aliena[5] promittere, et, quod totum amiserit, velle partiri. Leges autem a victoribus dici, accipi a victis[6]. Se, cum transiret mare[7], non Cili-

ciam aut Lydiam, sed Persepolim caput regni ejus[8], Ecbatana deinde et Bactra ultimique Orientis oram imperio suo destinasse.

22. Rex, Hephaestione Phoenices oram classe praetervehi jusso[1], ad urbem Gazam cum omnibus copiis venit. Praeerat urbi[2] Betis, vir eximiae in regem suum fidei[3], modicoque praesidio muros ingentis operis[4] tuebatur. Deinde egressus porta[5] infert signa Macedonibus. Rex dum inter primores dimicat[6], sagitta ictus est. Tamen ante ipsa signa dissimulato dolore perstitit, donec sanguine largius manante[7] relinqui animo[8] et submittere genua coepit; quem proximi exceptum[9] in castra reportaverunt. Betis interfectum ratus urbem ovans victoria repetit. At Alexander nondum percurato vulnere[10] aggerem, qui moenium altitudinem aequaret[11], exstruxit cuniculisque muros subrui jussit. Per muri ruinas intravit. Ducebat ipse rex antesignanos, et dum incautius subit, saxo crus ejus affligitur. Innixus[12] tamen telo inter primores dimicat, ira quoque accensus, quod[13] duo in obsidione urbis ejus vulnera acceperat. Betim multis vulneribus confectum deseruerunt sui; nec tamen segnius[14] pugnabat lubricis armis et suo et hostium sanguine. Sed cum undique telis peteretur, postremo exhaustis viribus vivus in potestatem hostium pervenit. Per talos spirantis lora trajecta sunt[15], religatumque ad currum equi traxerunt circa urbem gloriante rege, Achillem, a quo genus ipse duceret, imitatum[16] se esse poena de hoste capienda[17].

23. Aegyptii olim Persis infensi — nam avare et superbe imperatum sibi esse[1] credebant — adventum regis cupidissime exspectabant. Ingens igitur multitudo Pelūsium, qua intraturus videbatur[2], convenerat[3]. Atque ille septimo die postquam a Gaza[4] castra moverat, in regionem Aegypti, quam nunc Castra Alexandri vocant[5], pervenit. Deinde, pedestribus copiis Pelusium petere jussis[6], ipse cum expedita delectorum manu Nīlo amne[7] Memphim vectus est; nec sustinuere adventum ejus Persae defectione Aegyptiorum perterriti. Compositis rebus ita, ut nihil ex patrio Aegyptiorum more mutaret, adire Jovis Hammonis oraculum statuit. Ergo cum eis, quos ducere secum[8] statuerat, secundo amne[9] devectus est ad Mareōtim

paludem. Inde primo quidem et sequenti die tolerabilis labor itineris visus est. Sed ut vastos et apertos campos alta obrutos arena intraverunt, haud secus quam profundum aequor ingressi[10] terram oculis requirebant. Nulla arbor, nullum culti soli occurrebat vestigium. Aqua etiam eos defecerat[11], quam utribus[7] cameli vexerant. Ad hoc sol omnia incenderat[12], siccaque et adusta erant ora[13], cum repente, sive illud deorum munus sive casus fuit[14], obductae caelo[15] nubes condiderunt solem, largumque imbrem excusserunt procellae. Quadridui iter per vastas solitudines factum est. Tandem ad sedem deo consecratam ventum est. Incredibile dictu[16], inter vastas solitudines sita undique arboribus contecta est multique fontes alunt silvas. Caeli quoque mira temperatio est, per omnes anni partes verno tepori maxime similis. Incolae nemoris, quos Hammonios vocant, dispersis tuguriis[7] habitant, medium nemus pro arce habent[17] triplici muro circumdatum. Id quod pro deo colitur non eandem effigiem habet, quam[18] vulgo deis artifices accommodaverunt, umbilico maxime similis est ejus habitus, smaragdo et gemmis coagmentatus. Ac tum quidem regem proprius adeuntem maximus natu[19] e sacerdotibus filium appellat, hoc nomen illi parentem Jovem reddere affirmans. Ille se vero et accipere ait et agnoscere. Consuluit deinde, num totius orbis imperium fatis sibi destinaretur? Pater, aeque in adulationem compositus[20], terrarum omnium rectorem eum fore ostendit; adjecit, invictum fore, donec excederet ad deos[21]. Sacrificio deinde facto dona et sacerdotibus et deo data sunt permissumque amicis, ut ipsi quoque consulerent Jovem. Nihil amplius quaesiverunt, quam auctorne esset sibi[22], ut divinis honoribus colerent suum regem. Hoc quoque acceptum fore Jovi, vates respondent. Jovis igitur filium se non solum appellari passus est sed etiam jussit.

Alexander ab Hammone rediens ad Mareotim paludem haud procul ab insula **Pharo** sitam venit. Contemplatus loci naturam primum in ipsa insula statuerat urbem novam condere; deinde, ut apparuit, magnae sedis insulam haud capacem[23] esse, elegit urbi locum, ubi nunc est **Alexandria**, nomen trahens ex nomine auctoris. Hominibus ex finitimis urbibus commigrare Alexandriam jussis[6], novam urbem magna multitudine

implevit[24]. His rebus compositis ad Euphratem iter pronuntiari jussit.

24. Interea Darius desperata pace, quam per litteras legatosque impetrari posse crediderat, ad reparandas vires bellumque impigre renovandum intendit animum. Omnia longinquarum gentium auxilia Babylonem contrahit[1]. Bessum, Bactrianorum praetorem, quam maximo posset exercitu coacto[2], descendere[3] ad se jubet, Scythae quoque et Indi conveniunt, ut dimidio[4] fere major exercitus esset, quam in Cilicia fuerat; ingensque, ut crediderat, hostium terror, ducentae falcatae quadrigae secutae sunt. Ex[5] summo temone hastae praefixae ferro eminebant, falces aliae in summis rotarum orbibus haerebant[6], aliae ex[5] axibus in terram demissae[7]. Instructo exercitu Babylone castra movit. Tigri deinde superato pervenit in vicum * Arbĕla[8]. Opportuna ad explicandas copias[9] regio erat, vasta planities, equestri maxime proelio apta.

25. Alexander undecimis castris[1] ad Euphraten pervenit. Quo pontibus juncto[2] equites primos[3] ire, phalangem sequi ju- * bet. Mazaeus, qui ad impediendum transitum ejus cum sex milibus equitum occurrerat, non est ausus periculum sui facere[4]. Paucis deinde ad quietem diebus datis militi[5], strenue hostem insequi coepit metuens, ne[6] interiores partes[7] regni sui peteret sequendusque esset per loca deserta atque vasta. Quarto igitur die ad septentriones praeter Armeniam penetrat ad Tigrim. * Tota regio ultra amnem recenti fumābat incendio; nam Mazaeus, quaecunque adierat[8], haud secus quam hostis urebat. Ut speculatores praemissi tuta omnia nuntiaverunt, paucos * equites ad tentandum vadum fluminis praemisit; cujus altitudo primo[9] equorum pectora, mox, ut in medium alveum ventum est, cervices quoque aequabat[10]. Nec sane alius fluvius tam violentus[11] invehitur. Itaque a celeritate, qua defluit, Tigri[12] nomen est inditum, quia Persica lingua tigrin[13] sagittam appellant. Pedes[5], circumdato equitatu, levatis super capita armis transit. Deleri potuit[14] exercitus, si quis[15] vincere ausus esset, sed perpetua fortuna regis avertit inde hostem.

26. Biduo[1] ibi rex stativa habuit. In illo itinere uxor Darii captiva mortua erat animi aegritudine confecta. Cujus morti

cum Alexandrum illacrimasse exsequiasque benigne prosecutum esse Dario nuntiatum esset, legatos misit, qui gratias agerent, quod[2] nihil in suos hostile[3] fecisset. Offert deinde majorem partem[4] regni usque ad flumen Euphratem, pro reliquis[5] captivis triginta milia talentorum[6]. Sed Alexander Parmenione, ut acciperet[7] quae offerrentur, suadente, Et ego, inquit, pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem[8]; nunc Alexander sum et me non mercatorem memini esse sed regem. Dimissi legati nuntiant, adesse certamen.

27. Alexander cum haud longius centum quinquaginta stadiis[1] Darium a se abesse comperisset, castra movit. A dextra[2] Tigrim habebat, a laeva montes, quos Gordyaeos vocant. Darius decem stadia progressus ad oppidum Gaugamēla milites subsistere jussit armatosque hostem exspectare. Mazaeus, qui cum delectis equitibus in edito colle, ex quo Macedonum prospiciebantur[3] castra, consederat, sive metu[4], sive quia speculari modo jussus erat[5], ad Darium rediit. Macedones eum ipsum collem, quem deseruerat, occupaverunt. Inde tota acies hostium, quae in campo explicabatur[6], conspiciebatur[3]. Nec jam contineri Macedones poterant[7], quin[8] cursu ad hostem contenderent. Sed Alexander castra muniri jussit. Postero die aciem disponit. Laevum cornu, sicut alias, Parmenioni administrandum[9] datum est, ipse in dextro stabat.

28. Darius rex delectis equitibus peditibusque stipatus ante se falcatos currus habebat, quos signo dato universos in hostem effudit[1]. Irruebant remissis habenis[2] aurigae, quo plures, nondum satis proviso impetu[3], obtererent[4]. Alios hastae ultra temonem eminentes, alios ab utroque latere falces laceraverunt. Nec sensim prima signa cedebant, sed effusa fuga turbabant ordines. Deinde currus in phalangem Parmenionis invecti sunt. Macedones confirmatis animis in medium agmen accipiunt et ab utroque latere equorum ilia suffodiunt. Circumire deinde et currus et propugnatores praecipitare coeperunt[5]. Ingens ruina equorum aurigarumque aciem compleverat[6]. Paucae tamen evaserunt quadrigae in ultimam aciem, iis, in quos inciderunt, miserabili morte consumptis. Interim Persae acrius instabant. Supervenerunt Bactriani pugnaeque verterunt fortu-

nam[7]. Multi ergo Macedonum[8] primo impetu obtriti sunt, plures ad Alexandrum refugerunt. Tum Persae clamore sublato, qualem victores solent edere, ferociter in hostem quasi ubique profligatum[9] incurrerunt. Alexander territos castigare[10], adhortari, confirmatos tandem ipse in hostes ducere. At qui in laevo cornu erant Persae, sperantes posse eum includi, agmen suum a tergo opponunt[11]; summumque periculum in medio haerens adisset[12], nisi equites Agriani calcaribus subditis[13] circumfusos regi barbaros adorti[14] in se avertissent. Turbata erat utraque acies. Duo reges junctis prope agminibus[15] proelium accendebant; curru Darius, Alexander equo vehebatur, utrumque delecti tuebantur, sui immemores[16], cum amisso rege[17] salvi esse nollent. At, — sive[18] ludibrium oculorum, sive vera species fuit, — qui circa Alexandrum erant, vidisse se crediderunt paululum super caput regis placide volantem[19] aquilam. Certe vates Aristander, alba veste indutus et dextra praeferens lauream, militibus avem monstrabat, haud dubium victoriae auspicium[20]. Ingens ergo alacritas et fiducia paulo ante territos accendit ad pugnam, praesertim cum auriga Darii, qui ante ipsum sedens equos regebat[21], hasta transfixus esset. Nec aut Persae aut Macedones dubitaverunt, quin[22] ipse rex esset occisus. Ergo lugubri ululatu et incondito clamore gemituque totam fere aciem turbaverunt cognati Darii et armigeri; multi in fugam effusi destituerunt currum. Dicitur acinace stricto Darius dubitasse, an[23] fugae dedecus honesta morte vitaret. Alexander mutato equo in resistentium agmina irrupit, jamque non pugna sed caedes erat. Cum Darius currum suum in fugam verteret, Persae regem sequuntur. Caedebat terga fugientium[24] victor, cum a Parmenione tristis nuntius venit, Mazaeum cum omni hostium equitatu[25] vehementer invectum[26] urgere Macedonum alas, jamque abundantem multitudine[27] aciem circumvehi coepisse; nisi mature subveniretur, non posse reprimi fugam[28]. Frendens Alexander, eripi sibi victoriam e manibus, agmen consistere jubet. Interim ad Mazaeum superati[29] regis fama pervenerat. Itaque quamquam superior erat, tamen fortuna regis territus perculsis hostibus languidius instabat. Parmenio ignorabat quidem causam pugnae sua sponte remissae, sed occasione vincendi strenue est usus. Thessalos

equites vocari jubet. Qui subditis calcaribus proruerunt in hostem. Illi jam recedebant; Parmenio tamen, ignarus quaenam * in dextro cornu fortuna regis esset[30], repressit suos. Mazaeus, dato fugae spatio, magno circuitu Tigrim superat et Babylonem cum reliquiis devicti exercitus se recepit. Darius media fere nocte Arbēla (a. 331.) pervenerat eodemque magna pars amicorum ejus ac militum confugerat. Cum expedita manu deserta loca atque ultimas regni partes petiturus[31] Mediae fines ingressus est.

29. Babylonem procedenti Alexandro Mazaeus, qui ex acie in eam urbem confugerat, cum adultis liberis supplex occurrit urbem seque dedens. Gratus adventus ejus regi fuit, multae enim operae et laboris[1] obsidio futura erat[2] tam munitae * urbis. Sed tamen quadrato agmine[3], quod ipse ducebat, velut si in aciem irent, ingredi suos jubet. Magna pars Babyloniorum constiterat[4] in muris, avida cognoscendi novum regem[5], plures obviam egressi sunt. Inter quos Bagophanes arcis et regiae pecuniae custos, ne studio a Mazaeo vinceretur[6], totum iter floribus coronisque constraverat, argenteis altaribus ab utroque latere[7] dispositis, quae non ture modo, sed omnibus[8] odoribus cumulaverat. Dona[9] eum sequebantur greges pecorum equorumque, leones quoque et panthērae caveis praeferebantur. Magi deinde suo more carmen canentes, post hos Chaldaei Babyloniorum vates et artifices cum fidibus ibant. Sed ipsius urbis pulchritudo ac vetustas non regis modo sed etiam omnium oculos in semet haud immerito convertit.

30. Murus Babylonis inter mirabilia orientis opera numeratur[1]. ** Exstructus est laterculo coctili[2], bitumine interlitus[3]; spatium XXX et duorum pedum in latitudinem amplectitur; quadrigae inter se[4] occurrentes sine periculo commeare dicuntur. Altitudo muri est L cubitorum[5]; turres denis pedibus quam murus altiores sunt[6]. Totus operis circuitus CCCLXV stadia complectitur; singulorum stadiorum structuram singulis diebus perfectam esse, memoriae proditum est[7]. Aedificia non sunt admota muris, sed fere spatium[8] jugeri unius absunt. Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt; per LXXX stadia[9] domicilia sunt, cetera serunt coluntque, ut, si hostis

succedat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur. Euphrātes interfluit, in eo pons est lapideus. Arx XX stadia in circuitu complectitur; XXX pedes[8] in terram turrium fundamenta demissa sunt[10], ad LXXX[11] summum munimenti fastigium pervenit. Super arcem, vulgatum[12] Graecorum fabulis miraculum, pensiles[13] horti sunt, summam murorum altitudinem aequantes[14], multarumque arborum umbra et proceritate amoeni. Saxis[15] pilae, quae totum onus sustinent, exstructae sunt, super pilas lapide quadrato solum stratum est, terra alta injecta, quam irrigant. Urbem Semiramis condidit, non, ut plerique crediderunt, Belus, cujus regia[16] ostenditur.

31. Diutius in hac urbe, quam usquam, commoratus est rex, nec ullus[1] locus disciplinae militari magis nocuit. Nihil urbis ejus moribus[2] corruptius, nihil ad irritandas illiciendasque cupiditates instructius[3]. Sed quo[4] minus damnum sentiret, identidem supplemento renovabatur exercitus. Tunc Amyntas ab Antipatro Macedonum peditum VI milia adduxit, D praeterea ejusdem gentis equites, cum his DC Thracas, adjunctis peditibus III milibus D. Et ex Peloponneso mercennarius miles[5], ad IV milia, advenerat cum DCCCCLXXX equitibus. Idem[6] Amyntas adduxerat L principum Macedoniae liberos adultos ad custodiam corporis.

32. Aucto exercitu Sūsa profectus est. Cum urbem adiret, Abulītes regionis ejus praefectus cum donis regalis opulentiae ei occurrit. Dromădes cameli inter dona erant velocitatis eximiae[1], XII elephanti a Dario ex India acciti. Ut vero urbem intravit, magnam ex thesauris pecuniam[2] egessit. Multi reges tantas opes longa aetate cumulaverant liberis posterisque, ut arbitrabantur, quas[3] una hora in externi regis manus intulit.

Deinde quartis castris[4] pervenit ad Pāsitigrim fluvium. Divisis copiis Parmenionem campestri itinere procedere jubet, ipse cum expedito[5] agmine jugum montium capit, quorum perpetuum dorsum in Persidem excurrit. Hac omni regione vastata quinto die angustias, quas illi Susidas pylas vocant, intrat. Fuso Ariobarzāne, qui eas angustias fortiter defendebat, expeditum[6] iter Persepolim fuit. Jamque haud procul ab urbe erant, cum miserabile agmen regi occurrit. Captivi erant

Graeci ad quattuor milia fere, quos Persae variis suppliciorum generibus affecerant; aliorum[7] pedes, aliorum manus auresque amputatae erant inustaeque barbararum litterarum notae[8]. Rex abstersis, quas profuderat, lacrimis bonum eos habere animum jubet, visuros[9] urbes suas conjugesque et liberos[10]. Cum illi peterent, ut aliquam sibi attribueret in Asia sedem, terna milia denarium[11] singulis dari jussit, denae vestes adjectae sunt, et armenta cum pecoribus ac frumento data, ut coli serique attributus iis ager posset.

33. Jamque barbari deserto oppido, qua quemque metus agebat, diffugerant, cum rex phalangem nihil cunctatus inducit. Multas urbes refertas opulentia regia partim expugnaverat, partim in fidem acceperat, sed urbis hujus divitiae vicerunt praeterita omnia[1]. In hanc totius Persidis opes congesserant barbari, aurum argentumque cumulatum erat, vestis[2] ingens copia, supellex non ad usum sed ad ostentationem comparata. Itaque inter ipsos victores ferro dimicabatur, pro[3] hoste erat, qui pretiosiorem occupaverat praedam. Neque minore crudelitate quam avaritia tamquam in capta urbe grassati sunt; auro argentoque onusti vilia captivorum corpora trucidabant. Multi igitur, ut hostium manus effugerent[4], de muris semet ipsos cum conjugibus ac liberis dejecerunt; quidam ignes subjecerunt aedibus, ut cum suis vivi cremarentur.

34. At rex maxima animi bona[1], illam indolem. qua omnibus regibus antecessit[2], illam in subeundis periculis constantiam, in rebus moliendis efficiendisque velocitatem, in[3] deditos fidem, in[3] captivos clementiam, in voluptatibus permissis quoque et usitatis temperantiam, haud tolerabili vini cupiditate foedavit. De die[4] inibat convivia, quibus feminae intererant. Ex his una, Thāis nomine, maximam eum apud omnes Graecos initurum gratiam[5] affirmat, si regiam Persarum jussisset[6] incendi; exspectare hoc eos, quorum urbes barbari delessent. Ebriae mulieri cum unus et alter, ipsi vino onerati, assentirentur, rex: Quin[7] igitur, inquit, ulciscimur Graeciam et urbi faces subdimus? Surgunt temulenti omnes ad incendendam urbem; primus rex ignem regiae injecit, tum convivae et ministri pelices-

que. Multa cedro aedificata erat regia, quae celeriter igne concepto[8] late effudit incendium.

35. Supplemento novorum e Cilicia militum auctus itinere converso[1] Darium persequi statuit. Is jam Ecbatana pervenerat caput Mediae; inde ad oppidum Bactra contendere decreverat. In eo itinere Bessus et Nabarzanes praefecti regem suum per fraudem[2] comprehendere et vincire decreverant eo quidem consilio, ut, si Alexander ipsos consecutus esset[3], tradito rege vivo[4] inirent gratiam victoris, sin autem eum effugere[5] potuissent[3], interfecto Dario[6] regnum ipsi occuparent bellumque renovarent. Jam nox appetebat, cum Persae more solito[7] armis positis ad frumentum ex proximo vico afferendum discurrunt. At Bactriani, ut imperatum a Besso erat, armati stabant. Tum rex in tabernaculo comprehensus[8], captivus servorum suorum, in sordidum vehiculum pellibus undique tectum imponitur. Ut tamen honos regi haberetur[9], aureis compedibus eum vinciunt fugamque intendunt.

36. Alexander, audito[1] Darium movisse[2] ab Ecbatanis, fugientem insequi pergit strenue. Transfugae nuntiant, praecipitem[3] fuga Bactra petere Darium. Certiora deinde cognoscit ex Babylonio quodam, in periculo mortis esse regem, affirmante. Quam maximis igitur potest[4] itineribus diurnis nocturnisque ire contendit pervenitque in vicum, in quo Darium Bessus comprehenderat. Fatigatis necessaria quies erat. At transfugae nuntiabant, stadia D abesse Persas, ipsos brevius iter monstraturos. Itaque primo vespere[5] cum expedita equitum manu monstratam viam ingreditur, phalange quam celerrime sequente. Trecenta stadia[6] processerant, cum occurrit Mazaei filius nuntians, Bessum haud amplius quam CC stadia[6] abesse; si festinarent, comprehensuros; Darium adhuc vivere. Itaque calcaribus subditis persequuntur. Jamque conspecti a barbaris erant, et abeuntium agmen conspexerant. Nequaquam pares fuissent, si Besso[7] tantum animi[8] fuisset ad proelium, quantum[9] ad parricidium fuerat; nam et numero barbari praestabant et robore. Sed nomen Alexandri et fama, quae plurimum in bello valet, pavidos in fugam avertit. Bessus vero et ceteri facinoris ejus participes[10], vehiculum Darii assecuti, coeperunt[11]

hortari eum, conscenderet[12] equum et se hosti fuga eriperet. Cum parricidas secuturum se negaret[13], tela conjiciunt in regem vulneratumque relinquunt. Jumenta quoque, ne longius progredi possent, vulnerant, duobus servis, qui regem comitabantur, occisis. Hoc edito facinore Nabarzanes Hyrcāniam, Bessus Bactra petebat, barbari a ducibus destituti dissipantur[14].

37. Interim jumenta, quae Darium vehebant, nullo[1] regente decesserant militari via[2] et in quadam valle constiterant aestu et vulneribus fatigata. Haud procul erat fons, ad quem Polystratus Macedo siti cruciatus accessit; ac dum[3] aquam galea haustam sorbet, jumenta conspexit hominisque semivivi gemitum percepit. Dimotis pellibus, quibus vehiculum contectum erat, Darium multis vulneribus confectum reperit. Regius enim cultus et aureae catenae, quibus a parricidis vinctus fuerat, dubitationem eximebant. Non erat expers[4] Graeci sermonis Darius; gratiasque agebat dis, qui post tanta mala tamque gravia hoc tamen tribuissent solacii[5], ne omnino in solitudine extremum spiritum duceret. Cum siti angeretur, allata per Polystratum aqua recreatus[6], Ergo, inquit, hanc etiam tantis calamitatibus extremam[7] accedere oportuit[8], ut bene merito gratiam referre non possim; at referet Alexander, Alexandro vero di. Dextram deinde porrexit, eamque Alexandro ferri jubens, apprehensa Polystrati manu animam efflavit. Alexander num spirantem[9] adhuc invenerit, incertum est; illud[10] constat, miserabili regis opulentissimi exitu comperto, lacrimas profudisse statimque chlamyde sibi detracta corpus operuisse et magno cum[11] honore ad suos deferri jussisse, ut regio Persarum more curatum monumentis majorum inferretur[12].

38. Verum Alexandri mores post Darii mortem mutari[1] coeperunt, et quem arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Hinc saepius comparatae in caput ejus insidiae, secessio militum, ipsius deinde irae aut suspiciones[2], ceteraque his similia, quae infra dicentur.

Perventum erat in Parthiēnen, ubi urbs erat ea tempestate clara Hecatompylos, condita a Graecis; ibi stativa rex habuit commeatibus undique advectis. Itaque rumor sine auctore percrebruit, regem contentum rebus, quas gessisset, in

Macedoniam redire statuisse. Discurrunt milites in tabernacula et itineri sarcinas aptant; signum datum esse crederes[3], ut vasa colligerent. Territus videlicet Alexander, qui Indiam atque ultimas orientis solis partes peragrare statuisset[4], praefectos copiarum in praetorium convocat obortisque lacrimis, ex medio gloriae spatio revocari se victumque magis quam victorem in patriam rediturum, conquestus est. Tum vero pro se quisque[5] operam suam offerebant, difficillima quaeque[6] poscebant, pollicebantur militum quoque obsequium, si animos eorum leni et apta oratione permulcere voluisset[7]. Ita se facturum esse respondit. Summa militum alacritate[8], jubentium, quocunque vellet, ducere, oratio excepta est. Recenti animorum impetu usus rex ad fines Hyrcaniae progreditur. Quadrato agmine[9] ibat, speculatores praemittens, qui explorarent loca. Levis armatura ducebat agmen, phalanx eam sequebatur, post pedites erant impedimenta. Et gens bellicosa et natura loci difficilis aditu[10] curam regis intenderat. Nam perpetua vallis usque ad mare Caspium patet; silvae viae imminebant[11] torrentesque et eluvies iter morabantur. Nullo tamen hoste obvio[12] ad cultiora loca perventum est.

39. Mardorum erat gens confinis Hyrcaniae, cultu vitae[1] aspera et latrociniis assueta. Interiora ejus regionis haud adiri sine magna vexatione exercitus poterant. Juga montium praealta rupesque inviae saepiunt; ea quae plana sunt[2] novo munimenti genere impedierant barbari. Arbores densae sunt de industria consitae[3], quarum ramos intortos rursus inserunt terrae; inde ex alia radice laetiores virent trunci. Qui ubi multa fronde vestiti sunt, occulti ramorum quasi laquei perpetuā saepe iter claudunt. Incolae autem, ritu ferarum virgulta subire soliti, occultis telis hostem lacessebant. Ille venantium modo latibula scrutatus plerosque confŏdit; ad extremum tamen circumire saltum milites jubet, ut, si qua pateret, irrumperent. Sed ignotis locis plerique errabant exceptique sunt quidam; cum his etiam equus regis captus est, — Bucephalam vocabant, — quem unum Alexander plurimi faciebat[4]. Namque alium ille in dorso suo insidēre non patiebatur[5], regem vero, cum vellet ascendere, sua sponte genua submittens

excipiebat, credebaturque sentire[6], quem veheret. Majore ergo, quam decebat, ira ac dolore commotus equum vestigari jubet * et per interpretem pronuntiari, ni reddidissent, neminem esse victurum. Hac denuntiatione territi equum adducunt. Inde * quinto die in Hyrcaniam revertitur.

40. Deinde Bessum, qui veste regia sumpta Artaxerxem appellari se jusserat[1] Scythasque et ceteros Jaxartis accolas contrahebat, bello persequi statuit. Sarcinis totius exercitus praeter maxime necessarias combustis in Bactrianam proficiscenti[2] litterae afferuntur, e quibus cognoscit, Satibarzanem, cui ipse paulo ante Ariorum satrapiam restituerat, defecisse. Quem ut opprimeret, iter ad meridiem convertit. Cognito ejus adventu Satibarzanes cum duobus milibus equitum Bactra perfugit. Ariis in dicionem suam redactis[3] Drangas petit[4]. Ibi commoranti domesticae[5] insidiae parantur, quarum particeps Dymnus comprehensus[6] semet ipse interfecit. Etiam Philōtas Parmenionis filius in suspicionem venerat, quem rex, Cratero maxime instigante, torqueri jussit[1], ut socios nominaret. Primo[7] ille fortiter dolorem fert, deinde laceratus omnia se confessurum promittit. Confitetur, Hēgelochum olim tribunum equitum, indigne ferentem, quod Jovis filium se salutari jussisset[1] rex, Parmenioni sibique auctorem fuisse regis interimendi[8], eam vero rem, dum Darius in vivis esset[9], dilatam esse. Cumque[10] initio nihil se cum Dymno commune habere dixisset, postea rursus tormentis admotis, hoc quoque crimen confitetur, sed patrem Parmenionem consilii expertem[11] fuisse perseverat. Postero die conjurati more patrio saxis obruti sunt. Neque Parmenio regi insons videbatur esse. Ad quem puniendum Polydamante, amico illius[12], ministro usus est, qui iram regis extimescens impensius etiam, quam exigebatur, promisit operam. Velocitate opus erat[13], quae celeritatem famae antecederet. Itaque veste Arabica indutus cum duobus Arabibus comitibus per deserta loca camelis profectus in Mediam venit, ubi Parmenio cum praesidio relictus erat. Parmenio dum litteras regis a Polydamante traditas legit, confoditur.

41. Arachōsiis subactis agmen processit ad Paropamīsum montem altissimum, cujus dorsum Asiam perpetuo

jugo[1] dividens ad Caspium mare spectat[2]. Ex quo Asiae mediae omnia fere flumina, alia in Rubrum, alia in Caspium mare profluunt. Paropamisadae agreste hominum genus sunt vel inter barbaros maxime ferum[3]. Locorum asperitas hominum quoque ingenia[4] duraverat. Tuguria latere[5] struunt, foramine relicto[6] superne lumen admittunt. Vites et arbores, si quae[7] in tanto terrae rigore durare potuerunt[8], obruunt penitus hieme; cum nix discussa[9] aperire humum coepit, caelo solique redduntur. Verum adeo[10] altae nives premunt terram, gelu et perpetuo paene rigore constrictae, ut ne avium quidem feraeve ullius vestigium exstet. In his regionibus incultis exercitus, quidquid malorum tolerari potest[11], pertulit, inopiam, frigus, lassitudinem, desperationem. Multos exanimavit rigor insolitus nivis, multorum[12] adussit pedes, plurimorum oculos; praecipue perniciosus fuit fatigatis. Nam in ipso gelu[13] deficientia corpora sternebant, quae cum moveri desierant[14], vis frigoris ita adstringebat, ut ad surgendum coniti non possent. A commilitonibus torpentes excitabantur, neque aliud remedium erat, quam ut ingredi cogerentur. Incolae, nunquam antea in terris suis advena viso, cum armatos repente conspicerent, commoti metu, quidquid in tuguriis erat efferebant, ut corporibus ipsorum parceretur[15] orantes. Tandem in loca cultiora perventum est. Septendecim dierum spatio Paropamisum superavit exercitus. Condendae in radicibus montis urbi sedes electa est. Septem milibus seniorum Macedonum permissum est in nova urbe considere. Hanc quoque Alexandriam incolae appellaverunt.

42. Bactriāni, postquam adventare Alexandrum compertum est[1], in suos quisque[2] vicos dilapsi Bessum reliquerunt. Ille cum paucis Oxo amne superato, exustisque navigiis, quibus transierat, ne iisdem[3] hostis uteretur, novas copias in Sogdianis[4] contrahebat. Venturos autem praedicabat Chorasmios et Dāhas Sacasque et Indos et ultra Jaxarten amnem colentes Scythas. Bactrianae terrae multiplex et varia natura est. Alibi multae arbores et vites largos mitesque fructus ferunt, solum pingue crebri fontes irrigant; quae mitiora sunt, frumento conseruntur, cetera armentorum pabulo cedunt; alibi magnam partem

ejusdem terrae steriles arenae tenent. Cum[5] vero venti a Caspio mari spirant, quidquid arenae[6] in campis jacet, converrunt. Quod ubi cumulatum est, magnorum collium procul species est, omniaque pristini itineris vestigia intereunt. Itaque qui transeunt campos navigantium modo noctu sidera observant, ad quorum cursum iter dirigunt. Si quos[7] ille ventus deprehendit, arena obruit. Sed qua mitior terra est, ingens hominum equorumque multitudo gignitur. Ipsa Bactra, regionis ejus caput, sita sunt sub monte Paropamiso. Hic rex stativa habuit.

43. Sarcinis impedimentisque cum praesidio relictis ipse cum expedito agmine[1] loca deserta Sogdiānorum intrat, nocturno itinere exercitum ducens. Per quadringenta stadia ne modicus quidem humor exsistit. Arenas ardor aestivi solis * accenderat, ut cuncta torrerentur. Nocturnum iter tolerabile * videbatur, quia rore et matutino frigore corpora levabantur. Sed cum ipsa luce[2] aestus oritur, omnemque naturalem absorbet humorem siccitas; ora visceraque penitus uruntur. Itaque primum animi, deinde corpora deficere coeperunt[3]. Tandem ad flumen Oxum ipse pervenit primo fere vespere. Sed exercitus magna pars non potuerat consequi. In edito monte ignes jubet fieri[4], ut ii, qui aegre sequebantur, haud procul a castris se abesse cognoscerent. Ipse non ante ad corpus curandum[5] recessit, quam praeterierant, qui agmen claudebant, totamque eam noctem cum magno animi motu[6] perpetuis vigiliis egit[7]. Nec postero die laetior erat, quia nec navigia habebat, nec pontem facere poterat. Itaque utribus incubantes transnaverunt amnem. Hoc modo sexto demum die in ulteriore ripa totum exercitum exposuit.

44. Jamque ad persequendum Bessum statuerat progredi, cum ea, quae in Sogdianis gesta erant, cognoscit. Conjuraverant principes, quibus a Besso maxima fides habebatur, ut vivum[1] Alexandro traderent. Dolo deceptum vinxerant, derepto ex capite regni insigni lacerataque veste, quam e spoliis occisi regis induerat; in equum impositum, ut Alexandro traderent, * ducebant. Rex interea ad urbem Maracanda pervenerat. * Praesidio urbi relicto processit ad Jaxartem amnem, quem[2] ipse milites que ejus Tanaim putaverunt esse. Quo perductus

est Bessus non vinctus modo, sed etiam omni velamento corporis spoliatus[3]. Spitamenes, unus e conjuratis, eum tenebat catena collo injecta, tam barbaris quam Macedonibus gratum spectaculum. Alexander Oxathren fratrem Darii, quem inter corporis custodes habebat, propius jussit accedere, tradique Bessum ei, ut cruci affixum[4] mutilatis auribus naribusque sagittis configerent barbari. Verumtamen supplicium ejus distulit, ut eo loco, in quo Darium ipse occiderat, necaretur.

Condendae urbi sedem in ripa Jaxartis elegerat. Quantum soli[5] occupaverat castris, muro circumdedit. Hanc quoque urbem Alexandriam appellari jussit. Incolae novae urbi dati sunt captivi, quos reddito[6] pretio dominis liberavit.

45. At rex Scytharum, cujus tum ultra Jaxartem imperium erat, ratus eam urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, suis impositam esse cervicibus, fratrem Carthasim nomine cum magna equitum manu misit ad eam diruendam. Quos ut repelleret, rex in rates exercitum imposuit[1]. In proris clipeatos locaverat[1] jussos in genua subsidere, quo[2] tutiores essent ab[3] ictu sagittarum; equites a puppe[4] equos nantes loris trahebant. Barbari ingentem vim sagittarum conjecerunt in rates, vixque ullum fuit scutum, quod non pluribus simul spiculis perforaretur[5]. Jam terrae rates applicabantur, cum acies clipeata consurgit et hastas certo ictu mittit e ratibus. Ut territos hostes viderunt, alacres in terram desiluerunt, turbatos acriter aggrediuntur. Equitum deinde turmae perfregerunt barbarorum aciem. Barbari omnes effusis habenis (namque equestris acies erat) capessunt fugam[6].

Hujus tam opportunae victoriae famā Asia jam magna ex parte deficiens[7] domita est. Invictos Scythas esse crediderant; quibus[8] fractis nullam gentem Macedonum armis parem fore confitebantur. Itaque Sacae aliaeque gentes miserunt legatos, qui pollicerentur[9], imperata se esse facturos[10]. Armis quidam subacti sunt, inter eos exsules Bactriani, qui cum octingentis Massagĕtarum equitibus, mille Daharum terram vastaverant. Quorum clade totius regionis finita defectio est.

46. His rebus confectis[1] Alexander Maracanda urbem repetit. Inde devertit in regionem, quae appellatur Bazaīra[2].

Barbarae opulentiae in illis locis nulla sunt majora indicia, quam nobilium ferarum greges magnis nemoribus saltibusque[8] clausi. Latas ad hoc eligunt silvas, crebris perennium aqua- * rum fontibus amoenas; muris nemora cinguntur[4] turresque habent venantium receptacula[5]. Quattuor continuis aetatibus[6] intactum saltum fuisse constabat, quem[7] Alexander cum toto exercitu ingressus[8] agitari undique feras jussit. Inter quas cum leo magnitudinis rarae ipsum regem invaderet, forte Lysimachus proximus Alexandro venabulum ferae objiciebat[9]. Quo * rex repulso[10] et abire jusso feram non excepit modo sed etiam uno vulnere occidit. Quattuor milibus ferarum dejectis in eodem saltu cum toto exercitu epulatus est.

47. Maracanda reversus sollemni quodam die amicos in convivium vocat. Ibi facta inter ebrios rerum a Philippo gestarum mentione, praeferre se patri ipse[1] rerumque suarum magnitudinem extollere ad caelum coepit assentante majore convivarum parte. Itaque cum Clitus, vetus Philippi miles, is qui apud Granicum amnem regem ex media morte eripuit[2], memoriam Philippi tueretur laudaretque ejus res gestas, adeo regem offendit, ut telo a satellite rapto eum in convivio trucidaret. Postquam animus conquievit, modo hominem occisum, modo causam occidendi considerans, tantopere eum paenituit[3] facti, * ut vix a se manus abstineret[4].

48. Decem diebus apud Maracanda consumptis in regionem, quam Nautaca appellant, rex exercitum in hiberna deduxit. Primo vere[1] ad meridiem versus regressus pervenit in regionem, cui Oxyartes satrapes nobilis praeerat, qui se regis potestati fideique permisit[2]. Barbarā opulentiā[3] convivium, quo regem accipiebat, instruxerat. Id cum multa comitate[4] rex celebraret, introduci ille triginta nobiles virgines jussit. Inter quas erat filia ipsius Roxane nomine, eximia corporis specie et decōre habitus in barbaris raro[5]. Quae quamquam inter electas processerat, omnium tamen oculos convertit in se[6], maxime regis, qui in amorem virgunculae ita effusus est, ut diceret, ad stabiliendum regnum pertinere, Persas et Macedones conubio jungi[7]; hoc uno modo et pudorem victis et superbiam victoribus detrahi posse. Insperata re[8] laetus pater sermonem ejus

excipit[9], et rex in medio amoris ardore jussit afferri patrio more panem. Hoc[10] erat apud Macedones sanctissimum coëuntium pignus, quem[11] divisum gladio uterque libabat. Hoc modo rex Asiae et Europae introductam virginem inter convivium matrimonio sibi adjunxit.

49. Jam vero cum Indiam et inde Oceanum peteret, ne quid[1] a tergo, quod rem impedire posset, moveretur, ex omnibus provinciis triginta milia juniorum legi jussit et ad se armata perduci, ut obsides[2] simul haberet et milites[2]. Centum et viginti milia armatorum regem ad bellum Indicum sequebantur. Regia cohors, Argyraspides a genere armorum appellati, scuta argenteis laminis inducta habebant, frenos equorum aureos. Sibi ipse[3] caelestes honores usurpavit; Jovis filium non dici tantum se, sed etiam credi volebat[4], tamquam perinde animis imperare posset ac linguis; jussitque more Persarum Macedones venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora[5]. Non deerat talia concupiscenti perniciosa adulatio[6], perpetuum malum regum, quorum opes saepius assentatio quam hostis evertit. Choerilus poeta aliique Graeci caelum illi aperiebant, Herculemque et Patrem Liberum et cum Pollūce Castŏrem novo numini cessuros esse[7] jactabant. Aspernabantur haec Macedones. Acerrimus inter recusantes Callisthenes Olynthius fuit. Quae res et illi et multis principibus Macedonum exitio fuit[8].

50. India tota fere spectat[1] ad orientem, minus in latitudinem quam in longitudinem patens. Quae in meridiem vergunt, in altius terrae fastigium surgunt[2]; plana sunt cetera placidumque per campos iter praebent. Multi amnes ex Paropamiso aliisque montibus a septentrione[3] altissimis profluunt. Indus gelidior est, quam ceteri; aquas vehit a colore maris haud multum abhorrentes, Ganges omnium ab oriente[4] fluvius maximus ad meridianam regionem decurrit et magnorum montium juga recto alveo stringit; inde eum objectae rupes inclinant ad orientem. Indus, qui in Rubrum mare effunditur[5], ripas multasque arbores cum magna soli parte exsorbet, saxis quoque impeditus, quibus crebro repercutitur; ubi mollius solum reperit, stagnat insulasque molitur. Acesines in eum influit[6].

Terra lini ferax[7]; ex eo plerisque sunt vestes[8]. Libri arborum teneri haud secus quam chartae[9] litterarum notas accipiunt. Aves ad imitandum humanae vocis sonum dociles sunt. Animalia invisitata ceteris gentibus, nisi invecta[10]. Eadem[11] terra rhinocerotas alit. Elephantorum major est vis, quam[12] quos in Africa domitant, et viribus magnitudo respondet. Aurum flumina vehunt, quae leni modicoque lapsu segnes aquas ducunt. Gemmas margaritasque mare in litora ejicit maximaque ea[13] illis opulentiae causa est. Ingenia[14] hominum, sicut ubique, apud illos quoque locorum situs format. Corpora[14] usque ad pedes carbaso velant, soleis pedes, capita linteis vinciunt[15]; lapilli ex[16] auribus pendent; brachia quoque et lacertos auro ornant, qui inter populares aut nobilitate aut opibus eminent. Capillum raro tondent; mentum semper intonsum est, reliquam oris cutem radunt.

51. Regum tamen luxuria, quam ipsi magnificentiam appellant, superat omnium gentium vitia. Cum rex se in publico conspici patitur[1], turibula argentea ministri ferunt totumque iter, per quod fertur, odoribus complent. Aureā lecticā[2] recubat, margaritae circumpendent; distincta sunt auro et purpurā carbasă, quibus indutus est; lecticam sequuntur armati corporisque custodes; aves in ramis sedentes feruntur, quas cantu seriis rebus obstrepere docuerunt[3]. Regia auratas columnas habet; totas eas vites auro caelatae ambiunt, aviumque, quarum visu[4] maxime gaudent, argenteae effigies opera distinguunt. Regia adeuntibus patet, cum[5] rex capillum pectit atque ornat[6]; tunc responsa legationibus, tunc jura popularibus reddit. Demptis soleis, odoribus illinuntur pedes. Breviora itinera equo conficit; longior ubi expeditio est, elephanti vehunt currum, et tantarum beluarum corpora tota contegunt auro. Ac ne quid perditis moribus desit, lecticis aureis[2] pelicum longus ordo sequitur. Feminae epulas parant. Ab isdem[7] vinum ministratur, cujus omnibus Indis largus est usus.

Quis credat[8], inter haec vitia curam esse sapientiae? Unum agreste et horridum genus hominum est[9], quos sapientes vocant. Apud hos occupare fati diem[10] pulchrum est, et vivos se cremari jubent[11], quibus aut infirma aetas aut incom-

moda valetudo est. Illi[12], qui in urbibus degunt, siderum motus scite spectare dicuntur et futura praedicere. Deos[13] putant, quidquid colere in mentem vēnit[14], arbores maxime, quas violare nefas est.

52. Alexandro fines Indiae ingresso gentium duarum reguli occurrerunt, illum tertium Jove genitum ad se pervenisse memorantes; patrem Liberum atque Herculem fama cognitos esse, ipsum coram adesse cernique. Rex benigne exceptos sequi jussit, iisdem[1] itinerum ducibus usurus. Cum amplius nemo occurreret, Hephaestionem et Perdiccam cum copiarum parte praemisit ad subigendos, qui recusarent imperium; jussitque ad flumen Indum procedere[2] et navigia facere, quibus transportari posset exercitus. Illi, quia plura flumina superanda erant, sic junxerunt naves, ut solutae plaustris vehi possent rursusque conjungi.

Inde domita ignobili gente ad Nȳsam urbem[3] pervenit. Oppidani obsidionis malis fatigati dedidere se. Hinc ad regionem, quae Daedala[3] vocatur, perventum est. Deseruerant incolae sedes et in avios silvestresque montes confugerant. Ergo ad Acadīra oppidum[3] transit aeque destitutum incolentium fugā. Itaque rationem belli mutavit. Divisis enim copiis, pluribus simul locis arma ostendit, oppressique, ubi non exspectaverant hostem, perdomiti sunt. Ptolemaeus plurimas urbes, Alexander maximas cepit; rursusque, quas distribuerat, copias junxit. Deinde sextis decimis castris[4] ad flumen *Indum* pervenit omniaque, ut praeceperat, ad trajiciendum praeparata ab Hephaestione reperit. Regnabat in ea regione Omphis, qui venienti obviam cum exercitu egressus corpus suum[5] et totas imperii vires protinus tradidit. Laetatus simplicitate[6] barbari rex et dextram, fidei suae pignus, dedit et regnum restituit. Omphis permittente Alexandro et regium insigne sumpsit et more gentis suae nomen, quod patris fuerat[7]. Taxilen appellabant populares, in quemcunque transierat[8] imperium. Quaerenti Alexandro[9], utrum[10] plures agricolas haberet, an milites? cum duobus regibus bellanti sibi majore militum quam agrestium manu opus esse[11], respondit. Abisares et Pōrus erant, ultra *Hydaspem* amnem regnantes.

53. Postero die legati Abisarae venerunt; omnia dicioni * ejus, ita ut mandatum erat, permittebant, firmataque invicem fide remittuntur. Pōrum quoque nominis sui fama ratus ad deditionem posse compelli, misit ad eum Cleocharen, qui denuntiaret[1], ut stipendium penderet et in primo suorum finium aditu occurreret regi. Porus alterum ex his facturum esse respondit, ut intranti regnum suum praesto esset, sed armatus. Itaque in ulteriore ripa Porus cum magno exercitu consederat, ut transitu[2] prohiberet hostem. Alexander inops consilii[3] ad fallendum hostem hoc dolo utitur. Erat insula in flumine sil- * vestris et tegendis insidiis[4] apta. Vallis quoque haud procul * a ripa, quam tenebat ipse, non pedites modo sed etiam cum equis viros poterat abscondere. Itaque ut a custodia hujus opportunitatis oculos hostium averteret, Ptolemaeum cum omnibus turmis obequitare jussit procul ab insula et subinde Indos clamore terrere, quasi flumen transnaturus esset. Averso hoste in eos, qui cum Ptolemaeo inferiorem obsederant ripam, rex amnem cum ceteris copiis trajecit[5]. Jam agmen in cornua divisum ipse ducebat, cum[6] Poro nuntiatur, ab hostibus ripam obtineri et rerum adesse discrimen. Centum quadrigas et quattuor milia equitum venienti agmini objecit. Summa virium erat in curribus. Seni viri singulis vehebantur, duo clipeati, * duo sagittarii, ab utroque latere dispositi; aurigae erant ceteri. Scythae et Dahae primi omnium invaserunt in Indos. Jam undique pugna commissa erat, cum ei, qui currus agebant, effusis habenis in medium discrimen ruere coeperunt[7]. Anceps id malum utrisque erat. Nam et Macedonum pedites primo impetu obterebantur, et currus per invia immissi excutiebant eos, a quibus regebantur[8]; aliorum turbati equi in amnem praecipitaverunt curricula; pauci telis hostium exacti recurrerunt ad Porum acerrime pugnam cientem. Macedones elephantorum aspectus parumper inhibuit, qui dispositi inter armatos speciem turrium procul faciebant. At Alexander suos cohor- * tatus concitat equum primusque invadit in ordines hostium; Coenus ingenti vi in dextrum cornu invehitur, phalanx mediam Indorum aciem uno impetu perrumpit.

54. Porus tamen colligere dispersos, obvius hosti ire pergit

elephantosque ante agmen suorum agi jubet. Post eos posuerat peditem ac sagittarios et tympana pulsare solitos. Magnum beluae injecerunt terrorem, insolitusque stridor non equos modo sed viros quoque ordinesque turbaverat. Praecipue terribilis ille * aspectus erat, cum arma virosque manu corriperent et super se regentibus traderent. Varium ergo certamen in multum diei[1] extractum est, donec securibus pedes beluarum et manus amputare coeperunt. His vulneribus elephanti efferati in suos se convertunt, etiam qui rexerant eos[2] praecipitati in terram ab ipsis obteruntur. Porus destitutus a plurimis tela in circumfusos ex elephanto suo magnitudine inter ceteros eminente * coepit ingerere, multisque eminus vulneratis ipse undique petebatur. Novem jam vulnera hinc tergo, illinc pectore acceperat, cum belua instinctă rabie invecta est in ordines circumsistentium. Rector beluae ubi regem conspexit languescentibus membris vix compotem mentis[3], beluam in fugam concitat. Sed elephantum quoque, qui multa exceperat tela, vires deficiebant[4]. Porus saucius labi ex belua coepit. Indus, qui elephantum regebat, descendere eum ratus, more solito elephantum procumbere jussit in genua. Qui ut se submisit, ceteri quoque, ita enim instituti erant, demiserunt corpora in terram. Rex corpus Pori, interemtum esse credens, jubet spoliari, et, qui detraherent loricam vestemque, concurrerunt. Tum ele- * phantus dominum tueri conatur levatumque corpus ejus in dorsum suum imponere[5]; sed telis undique obrutus confoditur. Porum aegrum Alexander curavit haud secus ac si pro ipso pugnasset; confirmatum contra spem omnium in amicorum numerum recepit, mox donavit ampliore regno, quam tenuerat.

55. Alexander tam memorabili victoria laetus, qua sibi Orientis fines apertos esse censebat, Soli victimis caesis[1] ad interiorem Indiam processit. Silvae erant prope in immensum spatium diffusae procerisque et praealtis arboribus umbrosae. Caeli temperatio salubris, nam et vim solis umbrae levant et aquae largae manant e fontibus. Serpentium magna vis in silvis erat; virus nullum magis noxium est[2]; morsum praesens mors sequebatur, donec ab incolis remedium oblatum est. * Hinc per deserta ventum est ad flumen Hyarōtim. Adjacebat

flumini nemus opacum arboribus alibi invisitatis agrestiumque pavonum multitudine frequens. Castris inde motis[3] oppidum haud procul positum corona[4] capit obsidibusque acceptis stipendium imponit.

56. Hinc in regnum Sōpīthis perventum est. Portae oppidi, ad quod Alexander copias admovit, clausae erant, sed nulli in muris turribusque se armati ostendebant, dubitabantque Macedones, utrum[1] deseruissent urbem incolae, an fraude se occultarent, cum subito patefacta porta rex cum duobus adultis filiis occurrit. Baculum aureum beryllis distinctum gerebat; quo tradito precatus, ut sospites acciperet[2], se liberosque et gentem suam dedidit. Relicto igitur Sopithe in suo regno ad fluvium Hypasim processit. Tertio die amnem superare decreverat transitu difficilem[3], non solum spatio aquarum sed etiam saxis impeditum[4]. Nam insatiabili ejus gloriae cupiditate[5] nihil invium, nihil remotum videbatur. At exercitus omnis non minus proeliorum numero quam laboribus fessus lacrimis eum deprecatur, finem tandem belli faceret[6]; aliquando patriae reditusque meminisset[7], respiceret militum annos, quibus vix aetas ad reditum sufficeret; solos se duorum regum, Philippi Alexandrique, continuam militiam pertulisse. Ostendere[8] alius canitiem, alius vulnera; tandem orare[8], ut reliquias saltem suas paternis sepulcris reddat; ac si non militibus, vel sibi ipse[9] parcat; ne[10] fortunam suam nimis onerando[11] fatiget. Ille cum neque cohortatione neque precibus mitigare posset iratos, inops consilii[12] desiluit e tribunali claudique regiam jussit, omnibus praeter familiares adire prohibitis. Biduum irae datum est; tertio die processit, erigique duodecim aras ex quadrato saxo, monumentum expeditionis suae, jussit. Hinc eodem quo venerat itinere ad flumen Hydaspem[13] rediit. Deinde Oceanum aditurus classem mille navium aedificari jussit[14]. Discordes Porum et Taxilen Indiae reges, reconciliata ac firmata per affinitatem gratia, relinquit in suis regnis, summo in aedificanda classe amborum studio usus. Oppida quoque duo condidit, quorum alterum Nīcaeam appellavit, alterum Bucephalam, equi ex[15] vulneribus in proelio[16] acceptis mortui memoriae ac nomini dedicans urbem. Elephan-

tis deinde et impedimentis terra sequi jussis, secundo amne[17] defluxit.

57. Perventum erat in regionem, in qua Hydaspes et Acesines amnes confluunt. Hinc decurrit in fines Siborum, qui ex Herculis exercitu majores suos esse praedicant. Pelles ferarum pro veste erant, clavas gerebant. Egressus e navi depopulatusque regionem oppidum eorum corona cepit. Alteram deinde urbem expugnare conatus multitudine defendentium pulsus est multosque Macedonum amisit. Sed cum in obsidione perseveraret, oppidani desperata salute[1] ignem subjecerunt tectis seque ac liberos conjugesque[2] incendio cremaverunt.

Inde ventum est in regionem Oxydracarum Mallorumque, quos alias bellare inter se solitos[3] tunc periculi societas junxerat. Cum proelio[4] victor esset, exercitum ad urbem hostium adduxit. Ipse de muro, quem primus ceperat, in urbis locum apertum desilit atque unus adversus multos dimicat. Ubi vero obrui multitudine se vidit, trunco se, qui propter murum stabat, applicavit; cujus auxilio tutus cum diu hostes sustinuisset, tandem cognito periculo ejus amici ad eum desiliunt. Pugna tamdiu anceps fuit, quoad omnis exercitus, muris dejectis, auxilio venit. In eo proelio[4] sagitta sub mamma vulneratus est. Curatio vulneris gravior ipso vulnere[5] fuit. Corpore enim nudato medici animadvertunt hamos inesse in telo, nec aliter id extrahi posse, quam ut secando[6] vulnus augerent. Patefacto igiter latius vulnere et spiculo evulso, ingens vis sanguinis manare coepit relinquique animo rex et caligine oculis offusa velut moribundus extendi[7]. Cumque sanguinem medicamentis frustra cohiberent[8], clamor atque ploratus amicorum oritur, regem exspirasse credentium. Tandem constitit sanguis paulatimque animum recepit. Rex septem diebus[9] curato vulnere necdum[10] obducta cicatrice, ut famam mortis exstingueret, duobus navigiis junctis, statui in medio undique conspicuum tabernaculum jussit, ex quo se ostenderet exercitui[11].

58. Cratero deinde imperat rex, ut haud procul ab amne copias duceret, ipse secundo flumine devehitur. Ad confluentes Acesinem et Indum oppido condito, quod Alexandriam appellari jusserat, fines eorum, qui Musicani appellantur, in-

travit. Quibus in dicionem redactis[1] in urbe eorum praesidium ponit[2]. Paucis deinde diebus[3] secundo amne pervenit ad oppidum, quod in regno erat Sambi. Proelio[4] victi sunt barbari; sed non, ut prima specie[5] laeta victoria, ita eventu[5] quoque fuit; barbari enim veneno tinxerant gladios. Itaque saucii subinde exspirabant, nec causa tam strenuae mortis excogitari poterat a medicis, cum etiam leves plagae insanabiles essent[6]. In quo proelio[4] Ptolemaeus familiaris regis cum telo venenato ictus esset eoque vulnere[7] summo cum dolore[8] moreretur[9], Alexander assidens sommo est consopitus. Tum in somnis *
visus ei dicitur[10] draco radiculam ore ferre et simul dicere, quo illa loco nasceretur — neque is longe aberat —, ejus autem esse vim tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret. Cum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emissi sunt, qui illam radiculam quaererent[11]; qua inventa et Ptolemaeus sanatus est et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.

59. Ducibus deinde sumptis amnis peritis[1], defluxit ad insulam medio fere alveo enatam[2]. Ibi diutius subsistere coactus, quia duces socordius[3] asservati profugerant, misit, qui conquirerent alios[4]; nec repertis[5], pervicaci cupidine visendi Oceanum[6] adeundique terminos mundi commotus, sine regionis peritis[1] flumini ignoto se permisit. Navigabant igitur omnium, per quae ferebantur, ignari[7]. Jam quadringenta stadia processerant, cum[8] gubernatores, agnoscere se auram maris et haud procul videri Oceanum abesse, indicant regi. Itaque ingenti alacritate[9] nautae remigant. Tertio jam die mixtum flumini subibat mare, leni adhuc aestu confundente dispares undas. Tum ad insulam in medio amne sitam applicant classem et ad commeatus petendos discurrunt. Tertia fere hora erat, cum stata vice[10] Oceanus exaestuans invehi coepit et retro flumen urgere. Identidem intumescens mare in campos paulo ante siccos superfunditur[11]; paulo post meridiem reciprocari coepit mare, magno tractu aquis in suum fretum recurrentibus. Rex cum ex eo, quod acciderat[12], conjectaret, post solis ortum statum tempus esse, de media nocte[13], ut aestum occuparet, cum paucis navigiis secundo amne defluxit. Evectus ex ore ejus quadraginta

stadia processit in mare, tandem voti sui compos[14]; praesidibusque et maris et locorum dis sacrificio facto ad classem rediit.

60. Leonnato deinde praemisso, ut puteos foderet, qua ducturus erat exercitum, — sicca enim erat regio, — ipse cum copiis substitit, vernum tempus exspectans. Interim urbes plerasque condidit. Nearcho atque Onēsicrito nauticae rei peritis[1] imperavit, ut[2] validissimas navium ducerent in Oceanum progressique, quoad tuto possent, naturam maris noscerent; vel[3] eodem amne vel Euphrate subire[4] eos posse, cum reverti ad se vellent. Jamque mitigata hieme et navibus, quae inutiles videbantur, crematis cum exercitu profectus nonis castris[5] in regionem Arabitarum, inde quinto die ad flumen pervenit; Arabum incolae appellant. Regio deserta et aquarum inops[6] excipit; quam transgressus in Orītas[7] pervenit, inde ad maritimos Indos, qui Ichthyophagi appellantur[8]. Desertam vastamque regionem tenent ac ne cum finitimis quidem ullo commercii jure miscentur[9]. Ipsa[10] solitudo ingenia naturā quoque immitia efferavit; prominent ungues numquam recisi, comae hirsutae et intonsae sunt. Tuguria conchis et ceteris purgamentis maris exstruunt. Ferarum pellibus tecti piscibus sole duratis vescuntur[11]. Deinde iter facit per Gedrōsiae solitudinem et arenas. Consumptis igitur alimentis Macedones primo[12] inopiam, deinde famem sentire coeperunt, radices palmarum, namque sola[13] ea arbor ibi gignitur, ubique rimantes. Sed cum haec quoque alimenta defecerant, jumenta caedebant, ne equis quidem abstinebant[14]; et cum deessent[15], quae sarcinas veherent, spolia, propter quae ultima Orientis peragraverant, cremabant incendio. Famem deinde pestilentia secuta est. Ac ne levius quidem aegri agmen celeriter ductum sequi poterant. Rex ad Phrataphernen Parthiēnorum satrapen misit, qui juberent[16], camelis cocta cibaria afferri, aliosque finitimarum regionum praefectos, quantis angustiis premeretur[17], certiores fecit[18]. Nec cessatum est ab his. Itaque a fame saltem vindicatus[19] exercitus tandem in regionem perducitur omnium rerum copia abundantem[20], in qua stativa habuit, ut milites ex labore et inopia reficeret. Deinde in Carmāniam processit.

61. Haud multo post Nearchus et Onesicritus litora * Rubri maris legentes cum[1] in regionem Carmaniae venissent, relictis navibus ad regem ascendunt[2]. Nuntiant quaedam audita, alia comperta[3]. Insulam ostio amnis subjectam auro abundare[4]; plenum[5] esse beluarum mare, aestu secundo[6] eas ferri magnarum navium corpora aequantes[7]; Rubrum mare non a colore undarum, ut plerique crederent[8], sed ab Erythro rege appellari; esse haud procul a continenti insulam palmis * consitam, in medio fere nemore columnam eminere, Erythri regis monumentum, litteris gentis ejus inscriptam. Rex, cognoscendi plura[9] cupiditate accensus, rursus eos terram legere jussit, donec ad Euphratis ostium appellerent classem[10]; inde adverso amne[11] Babylonem subirent. Ipse animo infinita complexus[12] statuerat, omni ad Orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam, Carthagini infensus, inde Numidiae solitudinibus peragratis cursum Gades dirigere — nam ibi columnas Herculis esse fama erat — Hispanias deinde, * quam[13] Ibēriam Graeci a flumine Ibēro vocabant, adire et praetervehi Alpes Italiaeque oram, unde in Epirum brevis cursus est. Itaque Mesopotamiae praetoribus imperavit, ut, materia in Libano monte caesa devectaque ad[14] urbem Syriae Thapsacum, septingentas naves septiremes aedificarent deducerentque Babylonem. Cypriorum regibus imperatum, ut aes stuppamque et vela praeberent.

62. Ventum est deinde Persagada. Sepulcrum Cyri, quod ibi erat, Alexander jussit aperiri. Auro argentoque repletum esse crediderant[1], sed praeter clipeum ejus putrem et arcus duos Scythicos et acinacem nihil repertum est. Alexander, * senioribus militum in patriam remissis, tredecim milia peditum et duo milia equitum, quae in Asia retineret[2], eligi jussit, existimans, modico exercitu contineri posse Asiam, quia pluribus locis praesidia disposuisset nuperque conditas urbes colonis replesset, res novare non cupientibus. At ut cognitum est, alios remitti domos, alios retineri, perpetuam eum regni sedem in Asia habiturum esse rati[3], disciplinae militaris immemores[4] * seditiosis vocibus castra complent, regemque ferociter adorti * omnes simul missionem postulare coeperunt[5], palam professi,

nusquam inde nisi[6] in patriam vestigium esse moturos. Nec jam precibus, sed conviciis utebantur, jubentes eum solum cum patre suo Hammone inire bella, quoniam milites suos fastidiret. Contra ille nunc castigare[7] milites, nunc lenibus verbis monere[7], ne gloriosam militiam seditionibus contaminarent. Ad postremum, cum verbis nihil proficeret, e tribunali in contionem armatam inermis ipse desiluit et nullo prohibente[8] tredecim seditionis auctores manu sua correptos ad supplicium custodibus corporis tradidit. Inde separatim auxilia Persarum in contione alloquitur. Laudat perpetuam illorum cum in se[9] tum in pristinos reges fidem; nunc quoque, ait, custodiam corporis sui non Macedonibus tantum se, verum etiam illis crediturum. Mille ex his juvenes in numerum satellitum legit. Quam rem aegre Macedones tulerunt.

63. Postero die cum prohiberentur aditu[1], Asiaticis modo militibus admissis, lugubrem totis[2] castris ediderunt clamorem, denuntiantes, protinus se morituros, si rex perseveraret irasci. Cumque dies noctesque[3] ante regiam persistentes miserabili clamore habituque paenitentiam suam approbarent, tertio die rex victus constantia supplicum processit, incusataque leniter exercitus immodestia, non sine multis utrimque lacrimis in gratiam se cum eis redire[4] professus est. Ita supra decem veteranorum milia dimissa sunt, quos Craterus deduxit. Litteris etiam ad Antipatrum scriptis honorem emeritis haberi[5] jussit, ut quotiens ludi atque certamina ederentur, in primis ordinibus coronati spectarent. Craterum Macedoniae continentibusque regionibus cum imperio praeesse jussit[6], Antipatrum cum supplemento juniorum Macedonum ad regem pergere.

64. Motis inde castris Babylonem procedebat. Jamque vix triginta ab urbe stadiis[1] aberat, cum Nearchus occurrit, quem per Oceanum et Euphratis ostium Babylonem praemiserat. Orabat, ne urbem vellet ingredi; fatalem eam ei fore, ex Chaldaeis se comperisse. Rex fama eorum hominum motus[2], dimissis in urbem amicorum plerisque, alia via praeter Babylonem ducit atque ab ducentis stadiis[3] stativa locat. Sed ab Anaxarcho philosopho edoctus contemptis Chaldaeorum

monitis[4] urbem intrat. Legationes eo ex universo fere orbe confluxerant. Quibus per complures dies studiose auditis, deinceps ad Hephaestionis familiarissimi paulo ante in itinere mortui exsequias adjecit animum; quae summo omnium studio[5] celebrata sunt. Deinde expeditione facta in Arabum fines de futuris securus Chaldaeos irridebat, quod Babylonem non ingressus tantum esset incolumis, verum etiam excessisset. In urbem reversus cum Nearchum excepisset convivio jamque cubitum[6] iturus esset, Medii Thessali obnixis precibus dedit, ut ad eum comissatum[6] veniret. Ibi postquam totam noctem perpotavit, male se habere coepit[7]. Ingravescens deinde morbus adeo omnes vires intra sextum diem exhausit, ut ne vocis quidem potens esset. Interea milites sollicitudine desiderioque ejus commoti, obtestantibus ducibus[8], ne valetudinem regis onerarent, expresserunt, ut in conspectum ejus admitterentur; quibus osculandam[9] dextram suam flentibus porrexit. Dimisso vulgo propiusque adire jussis amicis, detractum anulum digito Perdiccae tradidit adjectis mandatis, ut corpus suum ad Hammonem ferri juberent. Quaerentibus his, cui relinqueret regnum? respondit, ei, qui esset optimus. Suprema haec vox fuit regis, et paulo post decessit. Veneno necatum esse crediderunt plerique, filium Antipatri, Jollam nomine, patris jussu dedisse. Corpus ejus a Ptolemaeo, cui Aegyptus cesserat, Memphim, inde paucis post annis Alexandriam translatum est.

65. Vehementissima secuta sunt principum certamina, quis in regis locum succederet[1]. Tandem Perdiccas perducto in urbem exercitu consilium principum virorum habuit, in quo provinciae inter eos ita distribui placuit[2], ut Philippus (II) Arrhidaeus, Alexandri frater eodem patre genitus, et Alexander, Roxanes filius post patris mortem demum natus, reges[3] summam imperii obtinerent, Perdiccas illorum tutor[3] ut copiis praeesset, quae regem sequebantur. Nobilissimi inter successores Alexandri fuerunt Ptolemaeus, qui Aegyptum obtinebat, Antigonus, cui Lycia cum Pamphylia et majore Phrygia, Lysimachus, cui Thracia cessit. Regnum Macedoniae et Graeciam Antipater occupavit.

19. Bellum Lamiacum. Phocion. (III)

1. Alexandro Babylone mortuo in Graecia Athenienses bellum, quod jam vivo Alexandro moverant, summis viribus parabant, ut imperio Macedonum liberarentur. Contracto triginta milium exercitu et ducentis navibus Antipatrum detractantem proelium et Lamiae urbis moenibus se tuentem obsidione cingunt. Eodem tempore Dēmosthenes orator, pulsus patria ob crimen accepti[1] ab Harpalo auri, forte Megaris exsulabat. Qui ut missum ab Atheniensibus Hyperīdem legatum cognovit, qui Peleponnesios in societatem armorum sollicitaret, secutus eum Sicyōna et Argos et Corinthum ceterasque civitates eloquentia sua Atheniensibus junxit. Ob quod factum, missa ab Atheniensibus obviam nave, ab exsilio revocatus est. Interim in obsidione Antipatri Leosthenes, dux Atheniensium, telo a muris in transeuntem jacto occiditur. Auxilium deinde Antipater a Leonnato per legatos petit; qui cum venire cum exercitu nuntiatus esset, obvii ei Athenienses cum instructis copiis fuerunt. Equestri proelio Leonnatus victus et interfectus est. Antipater tametsi auxilia sua videbat victa, morte[2] tamen aemuli laetatus est. Statim exercitu ejus moenibus[3] recepto, cum par hostibus videretur, ex oppido profectus ad Crānōnem proelio Graecos vicit. (322.)

2. Athenienses Phōcione auctore pacem fecerunt his conditionibus, ut praesidium Macedonum in portu Munychia poneretur[1], rei publicae status[2] mutaretur hominesque populares[3] inter eos Demosthenes et Hyperides oratores traderentur. Qui cum fugissent, ab Antipatro missi sunt, qui persequerentur. Ceteri comprehensi suppliciis affecti sunt, Demosthenes in templo Neptuni, quod est in insula Calauria[4], venenum sumpsit.

Mortuo Antipatro Cassander ejus filius Piraeo quoque portu potitus est eodem Phocione optimatibusque adjuvantibus. Erant enim eo tempore Athenis duae factiones, quarum una populi causam agebat, altera optimatium[5]. In hac erant Phocion et Dēmētrius Phalereus. Harum utraque Macedonum

patrociniis utebatur. Nam populares Polysperchonti favebant[6], qui tum regis Philippi Arrhidaei tutelam gerebat, optimates cum Cassandro sentiebant[7]. Interim a Polysperchonte Cassander Macedonia pulsus est. Quo facto populus superior factus statim duces adversariae factionis capitis accusavit, in his Phocionem. Qui cum ad ipsum Polysperchontem profectus esset, ut causam diceret, in custodiam conjectus Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus[8] fieret judicium. Huc ut perventum est, cum propter aetatem pedibus[9] jam non valeret vehiculoque[10] portaretur, magni concursus sunt facti, cum alii reminiscentes[11] veteris famae aetatis misererentur[12], plurimi vero ira exacuerentur, quod adversus populi commoda in senectute stetisset. Quare ne perorandi quidem ei data est[13] facultas dicenti causam in judicio; legitimis quibusdam confectis damnatus, traditus est undecimviris, quibus ad supplicium[14] more Atheniensium publice damnati tradi solent. Cum ad mortem duceretur, obvius ei fuit Euphilētus, quo familiariter fuerat usus. Is cum lacrimans dixisset: O quam indigna perpeteris, Phocion! huic ille „At non inopinata", inquit. Hunc enim * exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.

3. Phocion etsi[1] saepe exercitibus praefuit summosque magistratus cepit, tamen multo[2] ejus notior integritas vitae, quam rei militaris labor; ex quo cognomine Bonus (χρηστός) est appellatus. Fuit enim perpetuo pauper, cum[3] divitissimus esse posset propter frequentes honores potestatesque summas, quae ei a populo deferebantur. Cum munera magnae pecuniae[4] ab Antipatro missa repudiaret legatique hortarentur, ut acciperet, simulque admonerent, si ipse his facile careret[5], liberis tamen suis prospiceret[6], quibus difficile esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam, his ille: „Si mei similes[7] erunt[8], idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis[9] illorum ali augerique luxuriam".

Paulo[2] post Cassander rerum potitus[10] Demetrio Phalereo Athenas regendas[11] tradidit. Hac re Lacedaemonii territi urbem, quam semper armis, non muris[12] defenderant, tum contra responsa fatorum et veterem majorum gloriam, armis

diffisi, murorum praesidio includunt. Tantum eos degeneravisse[13] a majoribus, ut, cum multis saeculis[14] murus urbi civium virtus fuerit, tunc cives salvos se fore non[15] existimaverint, nisi intra muros laterent!

III. Res Sicilienses.

20. (III)

1. Siciliam ferunt[1] angustis quondam faucibus Italiae adhaesisse diremptamque esse velut a corpore majore impetu inferi maris, quod toto undarum onere illuc vehitur. Proximum Italiae promontorium Rhēgium dicitur, ideo quia Graece abrupta hoc nomine appellantur. Nec mirum, si[2] fabulosa est loci hujus antiquitas, in quem[3] res tot coierunt mirae. Primum * nusquam tam torrens fretum; undarum in se concurrentium tanta pugna est, ut alias veluti terga dantes in imum desidere, alias quasi victrices in sublime ferri videas[4], nunc fremitum ferventis aestus, nunc gemitum in voraginem desidentis exaudias[4]. Accedunt vicini et perpetui Aetnae montis ignes et insularum Aeolĭdum, velut si ipsis[5] in undis alatur incendium. Hinc igitur fabulae Scyllam et Charybdin pepererunt[6]. Aetnam et eam Siciliae partem Cyclōpes tenuisse dicuntur, qui[7] Jovi fulmen fabricati esse in Aetna putabantur.

2. Siciliae primo Trīnacriae nomen fuit[1] a triangula specie. Cujus unum promontorium *Pelōrum* vocatur vergens in Italiam, *Pachȳnum* alterum in Graeciam, tertium *Lilybaeum* ad Africam spectat atque occidentem solem[2]. Ab Italia[3] sunt septem *Aeoliae insulae*, appellatae eaedem[4] Liparaeorum; Aeoliae, quod Aeolus Iliacis temporibus ibi regnavit. Siciliam insulam initio Sicāni coluisse dicuntur. Quos Siculi ex Italia profecti in occidentalem insulae partem rejecerunt; ipsi cetera tenent. Sed oram maritimam aliquot saeculis

post[5] Graeci coloniis deductis occupaverunt. Quarum vestustissimae sunt Naxus, Leontini, Catina[6]. Catinensibus leges scripsit[7] Charondas a. 660; in quibus non solum, ut cives obtemperarent oboedirentque[8] magistratibus, sed etiam ut eos colerent diligerentque praescripsit. Sed tulit[9] illa quondam insula multos et[10] crudeles tyrannos. Crudelissimus omnium Agrigentinorum[11] fuit tyrannus Phalaris, qui taurum aeneum habuisse dicitur, quo vivos supplicii causa demittere homines et subjicere flammam solebat; inclusorum hominum gemitu mugiebat taurus. Multis cruciatis et necatis universa tandem in eum Agrigentinorum multitudo[12] impetum fecit. Poenas dedit tyrannus in eundem taurum conjectus.

3. Maxima Graecorum urbs et pulcherrima fuerunt[1] Syrăcūsae, conditae a Corinthiis. Haec quoque civitas tyrannorum dominationem tulit. Gelo, Gelensium tyrannus, reductis optimatibus, qui a plebe expulsi erant, Syracusis potitus[2], cum Carthaginienses Siciliae partem tenentes vicisset, rex appellatus est. Idem[3] a. Chr. n. 480, quo die Graeci ad Salaminem vicerunt, Carthaginienses ad Himeram amnem superavit. Hiero post fratris mortem regnavit decem annos, poetarum, imprimis Pindari laudibus celebratus. De Simōnide poeta cum quaesivisset[4] tyrannus Hiero, quid[5] aut quale[5] esset deus, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem[6] ex eo postridie quaereret[4], biduum petivit[4]; cum saepius duplicaret numerum dierum admiransque Hiero requireret, cur ita faceret, Quia, quanto[7] diutius considero, inquit, tanto mihi res videtur obscurior. Hierone mortuo, Thrasybūlus ejus frater cum crudeliter imperaret[5], undecimo mense ejicitur; popularis rei publicae status[9] restituitur.

Sequuntur multa et[10] acerrima civitatum Siciliensium inter se[11] bella, quibus adductos Segestanos auxilium ab Atheniensibus petisse, supra demonstravimus[12].

21. Dionysius major. (III)

1. Aliquot annis postquam[1] Athenienses victi sunt, Carthaginienses, specie auxilii Segestanis ferendi, cum ingenti exercitu in Siciliam transmittunt ac Selīnūntem et Himeram urbes diruunt, deinde Agrigentinos, quamvis a Syracusanis adjutos, urbem suam relinquere cogunt. Ea opportunitate callide usus Dionȳsius, dum ceteros duces criminatur[2], Syracusis rerum potitur. Cum Carthaginiensibus pacem ita facit, ut Himeram et Agrigentum et quidquid occidentem versus est[3] teneant, ipse Syracusis regnet.

Factum erat augurium in Dionysio[4] paulo ante quam regnare coepit[5]. Qui cum[6] per agrum Leontinum iter faciens equum ipse demisisset in flumen, submersus equus voraginibus[7] non exstitit; quem cum maxima contentione non potuisset extrahere, discessit aegre ferens. Cum autem aliquantum[8] progressus esset, subito exaudivit hinnitum respexitque et equum alacrem laetus aspexit, cujus in juba examen apum consederat[9]. Quod ostentum habuit hanc vim, ut Dionysius paucis post diebus regnare coeperit[10].

2. Haud multo post ex assiduis Carthaginiensium injuriis[1] bellum renatum est, in quo et diu et varia victoria pugnatum est. Cum Himilco, Poenorum imperator, multas Siciliae civitates cepisset atque Syracusas obsideret, repente pestilentis sideris vi exercitum amisit. Deinde Dionysius, et ut militum vires continuo labore acuerentur[2], et regni fines proferrentur[2], copias in Italiam trajecit. Expugnatis Rheginis[3] et Locris Crotōniātas[3] aggreditur. Sed in Siciliam eum adventus Carthaginiensium revocavit, qui reparato exercitu bellum, quod lue[4] deseruerant, auctis viribus renovabant. Nec multo post Dionysius victus pacem fecit iniquis conditionibus[5].

Fuit Dionysius et manu fortis[6] et belli peritus et, id quod[7] in tyranno non facile reperitur[8], minime libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius denique rei cupidus nisi[9] singularis perpetuique imperii, ob eamque rem crudelis. Nam dum regnum studuit[10] munire, nullius pepercit vitae, quem ejus insidiatorem

putaret[11]. Multi supplicio affecti ac necati sunt, multi in carcerem conjecti, quae[12] lautumiae vocantur. Opus est ingens, magnificum; totum est[13] e saxo in mirandam altitudinem depresso et multorum operis penitus exciso. Nihil tam clausum ad exitum, nihil tam saeptum undique, nihil tam tutum ad custodiam nec fieri nec cogitari potest.

3. Tamen tyrannus perpetuo cruciatu timoris angebatur[1]. Ea enim ipsa, quae concupierat, ne tum quidem, cum omnia se posse censebat[2], consequebatur. Qui cum esset bonis parentibus atque honesto loco natus[3] (etsi id quidem alius alio modo tradidit[4]) abundaretque[5] et aequalium familiaritatibus et consuetudine propinquorum, credebat[6] eorum nemini, sed iis, quos ex familiis locupletium servos delegerat[7], quibus nomen servitutis ipse detraxerat, et quibusdam - convenis et feris barbaris corporis custodiam committebat[8]. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo ipse[9] se incluserat. Quin etiam ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit[10]. Ita sordido ancillarique artificio[11] regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant[12] barbam et capillum patris. Et tamen ab his ipsis[13], cum jam essent adultae, ferrum removit instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus[14] barbam sibi et capillum adurerent. Et cum fossam latam cubiculari lecto circumdedisset[15] ejusque fossae transitum ponticulo ligneo conjunxisset, eum ipsum[13], cum forem cubiculi clauserat[16], detorquebat. Idemque[17] cum in communibus suggestis consistere non auderet, contionari ex turri alta solebat. Atque[18] is cum pila[19] ludere vellet — studiose enim id factitabat — tunicamque poneret, adulescentulo, quem amabat, tradidisse gladium dicitur. Hic[20] cum quidam familiaris jocans dixisset „Huic quidem certe vitam tuam committis," arrisissetque adulescens, utrumque jussit interfici, alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui[21], alterum, quia dictum id risu approbavisset.

4. Quamquam[1] hic quidem tyrannus ipse judicavit, quam esset[2] beatus. Nam cum quidam ex ejus assentatoribus, Damocles, commemoraret in sermone copias ejus, majestatem dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam aedium regiarum,

negaretque unquam[3] beatiorem quemquam fuisse[4], „Visne[5] igitur, inquit, o Damocle, quoniam te haec vita delectat, ipse eam degustare et fortunam experiri meam?“ Cum se ille cupere dixisset, collocari jussit hominem in aureo lecto strato pulcherrimo textili stragulo[6], magnificis operibus picto[6], abacosque complures ornavit argento auroque caelato[7]. Tum ad mensam eximia forma[8] pueros delectos jussit consistere eosque nutum illius intuentes diligenter ministrare. Aderant[9] unguenta, coronae; incendebantur odores, mensae conquisitissimis epulis exstruebantur; fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio[10] apparatu fulgentem gladium e lacunari saeta equina aptum[11] demitti jussit, ut[12] impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores aspiciebat nec plenum artis argentum nec manum porrigebat in mensam, jam ipsae[13] defluebant coronae; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet[14] esse. Satis videtur declarasse[15] Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliqui terror impendeat[16].

5. Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus[1], summam fuisse ejus in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium, eundem[2] tamen maleficum natura et injustum. Magnus ille veterator cum fanum Proserpinae Locris expilavisset, navigabat Syracusas; isque, cum secundissimo vento cursum teneret, ridens: „Videtisne[3], inquit, amici, quam bona a dis immortalibus navigatio sacrilegis detur[4]?“ Idque[5] homo acutus cum bene planeque percepisset, in eadem sententia perseverabat. Qui cum ad Peloponnesum classem appulisset[6] et in fanum venisset Jovis Olympii, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere[7], quo Jovem ornarat e manubiis Carthaginiensium tyrannus Gelo, atque in eo etiam[8] cavillatus est, aestate grave[9] esse aureum amiculum, hieme frigidum[9], eique laneum pallium injecit, cum id esse ad omne anni tempus aptum diceret. Idemque Aesculāpii[10] barbam auream demi jussit; neque enim convenire barbatum esse filium[11], cum in omnibus fanis pater imberbis esset. Etiam mensas argenteas de omnibus delubris jussit auferri, in quibus cum more veteris Graeciae inscriptum esset

„bonorum deorum“[12], uti se eorum bonitate velle dicebat. Idem Victoriolas aureas et pateras coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur, sine dubitatione tollebat eaque se accipere, non auferre[13] dicebat; esse enim stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis[14] porrigentibus et dantibus[15] nolle sumere. Eundem[16] ferunt haec, quae dixi, sublata de fanis in forum protulisse[16] et per praeconem vendidisse[16] exactaque pecunia edixisse[16], ut quod quisque sacri[17] haberet, id ante diem certam in suum quidque fanum referret. Ita ad impietatem in[18] deos in homines adjunxit injuriam. Hunc tamen nec Olympius Jūpiter fulmine percussit, nec Aesculāpius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit, atque in suo lectulo mortuus in rogum illatus est eamque potestatem, quam ipse per scelus[19] erat nanctus, quasi justam et legitimam hereditatis loco[20] filio tradidit.

Duodequadraginta annos tyrannus Syracusanorum fuit Dionysius, cum quinque et viginti natus annos dominatum occupavisset (a. 406—367).

22. Dion et Dionysius minor. (III)

1. Dion Syracusanus, nobili genere natus[1], utraque implicatus est tyrannide Dionysiorum[2]. Nam ille superior duas uxores habuit, Dōridem Locrensem et Aristomachen, sororem Dionis, ex qua duos filios procreavit totidemque filias. Quarum priorem Dionysio filio, ex Doride nato, eidem, cui regnum reliquit, nuptum[3] dedit, alteram Dioni. Erat Dion intimus Dionysio priori, neque minus[4] propter mores quam propter affinitatem[5]. Namque etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen salvum eum esse propter necessitudinem, magis etiam suorum causa volebat. Aderat[6] in magnis rebus, ejusque consilio multum movebatur[7] tyrannus, nisi qua in re major ipsius cupiditas intercesserat[8]. Legationes vero omnes, quae essent[9] illustriores, per Dionem administrabantur[10]; quas[11] quidem ille diligenter obeundo et fideliter administrando crudelissimum nomen tyranni[12] sua humanitate leniebat. Neque vero haec Dionysium fugiebant[13]. Nam, quanto esset sibi ornamento[14],

sentiebat. Quo fiebat, ut uni huic maxime indulgeret neque eum secus diligeret ac[15] filium.

2. Cum Platonem Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata, ejusque audiendi cupiditate Dion flagraret, dedit Dionysius veniam, ut eum Syracusas arcesseret. Quem Dion adeo admiratus est atque adamavit, ut se ei totum[1] traderet. Neque vero minus[2] ipse Plato delectatus est Dione, ita ut eum doctrinis omnibus expoliret atque non linguae[3] solum verum etiam animi ac virtutis magister[4] ad liberandam patriam impelleret et instrueret. Ob eam rem cum in suspicionem tyranni venisset isque philosophum venumdari jussisset, a Dione redemtus in patriam rediit.

Cum gravi morbo Dionysius conflictaretur, quaesivit[5] a medicis Dion, quemadmodum se haberet, simulque ab iis petiit, si forte in majore esset periculo, ut sibi faterentur; nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno, quod sororis suae filios ex illo natos partem regni putabat[6] debere habere. Id medici non tacuerunt et ad Dionysium filium sermonem rettulerunt. Quo ille commotus, ne agendi[7] esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc aeger sumpto sopitus[8] diem obiit supremum. Tale initium fuit Dionis et Dionysii simultatis eaque multis rebus aucta est. Sed tamen primis temporibus aliquamdiu simulata inter eos amicitia mansit.

3. Cum Dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret ejusque consiliis uteretur, ille, qui in aliqua re vellet[1] patrem imitari[2], morem ei gessit. Eodemque tempore Philistum historicum, a patre in exsilium ejectum, Syracusas reduxit, hominem amicum non magis[3] tyranno quam tyrannidi. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit, ut ei persuaderet, ut tyrannidis[4] faceret finem libertatemque redderet Syracusanis; a qua voluntate Philisti consilio * deterritus aliquanto[5] crudelior esse coepit. Fratrem atque cognatos interficit. Jam tyrannus cum a Dione se superari videret ingenio auctoritate amore[6] populi, veritus ne, si eum secum haberet, aliquam[7] occasionem sui[8] daret opprimendi, navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur, Arēten,

Dionis uxorem, alii nuptum dedit filiumque ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus.

4. Sublatis aemulis in segnitiem lapsus saginam corporis ex nimia luxuria oculorumque valetudinem contraxit, adeo ut non solem, non pulverem, non denique splendorem lucis ipsius[1] ferre posset. Propter quae dum contemni se putat[2], saevitia grassatur[3]; nec ut pater carcerem nexis, sed caedibus civitatem replet. Qua re non tam contemptior quam invisior fuit[4] omnibus. Itaque carebat[5] consuetudine amicorum, societate victus, sermone omnino familiari; vivebat cum fugitivis, cum facinorosis, cum barbaris, neminem, qui aut libertate dignus esset[6] aut vellet[6] omnino liber esse, sibi amicum arbitrabatur. Quantopere vero amicitias desideraret, quarum infidelitatem extimescebat, declaravit in Pythagorēis duobus illis[7]. Damōnem et Phintiam[8] ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos dies commendandorum[9] suorum causa postulavisset, vas factus sit alter ejus sistendi[10], ut[11], si ille non revertisset[12], moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se ad amicitiam tertium[13] ascriberent. Jam haud procul seditione res erat, cum[14] Dionysius ad invidiam civium sedandam cum omnibus copiis omnique regio apparatu in Italiam transmisit, ut Lūcānos bello persequeretur.

5. Postquam Corinthum Dion pervenit et eodem[1] perfugit Heraclīdes ab eodem[1] expulsus Dionysio, qui praefectus fuerat equitum, omni ratione bellum comparare coeperunt. Sed non multum proficiebant, quod multorum annorum tyrannis magnarum opum[2] putabatur. Quam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur[3]. Sed Dion, fretus non tam suis copiis quam odio tyranni[4], maximo animo duabus onerariis navibus quinquaginta annorum imperium, munitum quadringentis longis navibus, decem equitum centumque peditum milibus, profectus[5] oppugnatum[6], adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat[7], Syracusas introiret. Ex quo intelligi potest nullum esse imperium tutum nisi[8] benevolentia civium munitum. Eo tempore aberat Dionysius et in Italia classem[9] opperieba-

tur adversariorum, ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum. Quae res eum fefellit[10]. Nam Dion eorum ipsorum * opera, qui sub adversarii fuerant potestate, tota ea parte Siciliae, deinde ipsa urbe Syracusis potitus est praeter arcem, quam ille reversus tenebat. Eum postea Dion fame superatum[11] cum suis incolumem abire passus est[12].

6. Has tam prosperas tamque inopinatas res[1] consecuta est subita commutatio, quod fortuna sua mobilitate[2], quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. Primum in filio, quem commemoravi supra[3], suam vim exercuit. Quem cum vellet revocare ad virtutem a perdita luxuria, usque eo ille vitae statum commutatum ferre non potuit (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent), ut se de superiore parte aedium dejiceret. Deinde orta dissensio est inter eum et Heraclidem. Qui, quod ei principatum non concedebat, factionem comparavit. Neque is minus valebat opibus, nam praeerat classi, cum[4] Dion exercitum pedestrem teneret. Non tulit hoc animo aequo Dion et versum illum Homeri rettulit[5], non posse bene geri rem publicam multorum imperiis. Quod dictum magna invidia consecuta est[6]. Hanc ille non lenire obsequio sed acerbitate opprimere studuit Heraclidemque, cum Syracusas venisset, interficiendum curavit[7].

7. Quod factum omnibus maximum timorem iniecit. Nemo enim illo interfecto se tutum putabat. Ille autem adversario remoto licentius eorum bona, quos[1] sciebat adversus se sensisse[2], militibus dispertivit. Quibus divisis cum cotidiani maximi fierent sumptus, celeriter pecunia deesse coepit, neque, quo manus porrigeret, suppetebat, nisi[3] in amicorum possessiones. Id eius modi erat, ut, cum[4] milites reconciliasset, amitteret optimates. Quarum rerum curā frangebatur[5] et insuetus male audiendi[6] non animo aequo ferebat, de se ab iis male existimari, quorum laudibus paulo ante in caelum fuerat elatus. Vulgus autem, offensa in eum etiam militum voluntate, liberius loquebatur et tyrannum non ferendum dictitabat. Itaque Callicrate auctore, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, die festo, cum a conventu se remotum Dion domi teneret atque in conclavi recubuisset, adulescentes quidam

audacissimi foribus effractis in lecto cubantem interfecerunt. Ejus de morte ut palam factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. Nam qui vivum eum tyrannum vocitarant, eidem liberatorem[7] patriae tyrannique expulsorem praedicabant. Itaque in urbe celeberrimo[8] loco, elatus publice, sepulcri monumento donatus est. Diem obiit circiter annos quinquaginta quinque natus, quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam redierat[9].

8. Dione interfecto Dionysius rursus Syracusis potitus gravior crudeliorque in dies civitati erat. Omnibus tyranni exitium propter nimiam morum acerbitatem et intolerabilia onera votis expetentibus, sola anus quaedam senectutis ultimae cotidie matutino tempore deos, ut incolumis ac sibi superstes[1] esset, orabat. Quod ubi is cognovit, non debitam sibi admiratus benevolentiam, arcessivit eam et, cur hoc aut quo merito suo[2] faceret, interrogavit. Tum illa „Certa est, inquit, ratio propositi mei. Puella enim, cum gravem tyrannum haberemus, carere eo[3] cupiebam. Quo interfecto aliquanto[4] taetrior arcem occupavit. Ejus quoque finiri dominationem magni[5] aestimabam. Tertium te superioribus[6] importuniorem habere coepimus[7] rectorem. Itaque ne, si tu fueris[8] absumptus, deterior in locum tuum succedat[9], caput meum pro tua salute devoveo." Tandem coorti Syracusani tyrannum in arce obsident. Sed cum simul a Carthaginiensibus et ab Hicéta Leontinorum tyranno bello premerentur, opem a Corinthiis petierunt ducemque, quo in bello uterentur, postularunt. Missus est Tīmoleon.

23. Tīmoleon. (III)

1. Sine dubio magnus omnium iudicio[1] hic vir exstitit[2]. Nam huic uni contigit, quod nescio an[3] nemini, ut et patriam, in qua erat natus, oppressam a tyranno liberaret et a Syracusanis, quibus auxilio erat missus, iam inveteratam servitutem depelleret totamque Siciliam multos annos bello vexatam a barbarisque oppressam suo adventu in pristinum statum restitueret. Sed in his rebus varia fortuna usus est et, id quod[4] difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quam adversam fortunam. Nam cum frater eius Tīmophanes, dux a

Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercennarios occupasset participsque regni ipse posset[5] esse, tantum afuit a societate sceleris, ut civium suorum libertatem fratris saluti anteferret et parere legibus quam imperare satius duceret. Hac mente per[6] haruspicem et per communem affinem, cui soror ex eisdem parentibus nata nupta erat[7], fratrem tyrannum interficiendum curavit[8]. Ipse non modo manus non attulit, sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nam dum res conficeretur[9], procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc praeclarissimum eius factum non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim laesam ab eo pietatem putabant. Mater vero post id factum neque domum ad se filium admisit neque aspexit, quin[10] eum fratricidam impiumque detestans compellaret. Quibus rebus ille adeo est commotus, ut nonnunquam vitae[11] finem facere vellet atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere.

2. Hic Corintho cum exiguis copiis missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia[1] depulit. Cum interficere posset[2], noluit, tutoque ut Corinthum perveniret, effecit, quod utrorumque Dionysiorum opibus Corinthii saepe adiuti fuerant, cuius benignitatis memoriam volebat exstare[3], eamque praeclaram victoriam ducebat[4], in qua plus esset clementiae[5] quam crudelitatis. Dionysius tyrannus, cum Syracusis pulsus esset, Corinthi dicitur ludum aperuisse, cum pueros in trivio doceret. Post Dionysii decessum Timoleon cum Hiceta bellavit, qui adversatus erat Dionysio neque illo expulso imperium dimittere volebat. Hoc superato maximas copias Carthaginiensium apud Crimissum flumen fugavit. a. 341.

3. Quibus rebus confectis cum propter diuturnitatem belli non solum agros, sed etiam urbes desertas videret, conquisivit quos potuit primum Siculos, deinde Corintho arcessivit colonos, quod ab his initio Syracusae erant conditae. Civibus veteribus sua restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit. Urbium moenia disjecta fanaque deserta refecit. Civitatibus leges libertatemque reddidit. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius superior ad urbem obsidendam, a fundamentis[1] disjecit, cetera tyrannidis propugnacula demolitus est deditque operam,

ut quam minime vestigia servitutis manerent. Cum[2] tantis munitus esset opibus, ut etiam invitis[3] Siculis imperare, tantum autem amorem haberet omnium[4], ut nullo recusante[5] regnum obtinere posset[6], maluit se diligi quam metui[7]. Itaque cum primum potuit imperium deposuit ac privatus Syracusis, quod reliquum vitae[8] fuit, vixit. Neque vero id imperite fecit. Nam quod ceteri reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit. Nullus honos ei defuit, neque res ulla Syracusis gesta est publice, de qua prius sit[9] decretum, quam Timoleontis sententia cognita.

4. Cum aetate iam provectus esset, sine ullo[1] morbo lumina[2] oculorum amisit. Quam calamitatem ita moderate tulit, ut neque eum querentem[3] quisquam[4] audiret, neque eo minus ille publicis rebus interesset. Veniebat[5] autem in theatrum, cum ibi concilium populi haberetur[6], propter valetudinem vectus iumentis iunctis[7] atque ita de vehiculo, quae videbantur[8] dicebat. Neque hoc illi quisquam[4] tribuebat superbiae[9]. Nihil enim unquam[10] neque insolens neque[10] gloriosum ex ore eius exiit. Qui quidem, cum suas laudes audiret praedicari, nunquam aliud dixit, quam se in ea re maxime dis agere gratias atque habere[11], quod, cum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent. Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat.

5. Laphystius quidam, homo petulans, cum vellet vadimonium ei imponere[1], quod cum illo se lege agere diceret[2], et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur[3], Timoleon oravit omnes, ne id facerent. Namque id ut Laphystio et cuivis liceret, se maximos labores summaque pericula adisse. Hanc enim speciem[4] libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus[5] experiri liceret. Idem[6], cum quidam Laphystii similis[7], nomine Dēmaenetus, in contione populi de rebus gestis ejus detrahere coepisset ac nonnulla in eum inveheretur[8], dixit, nunc demum se voti esse damnatum[9], nam hoc a dis immortalibus semper se precatum, ut talem libertatem restitueret[10] Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere. Ad hanc hominis[11] excellentem bonitatem mirabiles accesserant casus. Nam proelia

maxima natali suo die fecit omnia. Quo factum est, ut eum diem festum haberet[12] universa Sicilia. Cum diem supremum obisset, publice a Syracusanis in gymnasio, quod Timoleontēum appellatur, tota celebrante Sicilia[13] sepultus est.

24. Agathocles. (III)

1. Timoleonte mortuo Syracusanorum res publica non amplius[1] viginti annos libera fuit. Tum Agathocles ad regnum pervenit. Is[2] patre figulo natus[3] cum Syracusas concessisset[4] ascitusque in civitatem esset, miles gregarius, deinde centurio factus[5], tantam de se spem omnibus fecit homo et manu strenuus et in contionibus perfacundus, ut dux exercitus crearetur. Occupata urbe potentissimos quosque[6] ex principibus interficit. Rex constitutus finitimas civitates nihil hostile[7] metuentes ex improviso aggreditur. Inde bello adversus Poenos exorto, ab Hamilcare Gisgōnis filio victus Syracusas concessit, ut majore apparatu bellum repararet. Sed alterius certaminis eadem fortuna, quae[8] prioris[9], fuit. Cum igitur victores Poeni Syracusas obsidione cinxissent, Agathoclesque se nec viribus[10] parem neque ad obsidionem ferendam instructum videret, statuit bellum in Africam transferre. Hujus consilii non minus admirabile silentium quam commentum fuit. Populo hoc solum professus est, invenisse se victoriae viam, animos[10] illi tantum in brevem obsidionis patientiam firmarent. Nullo milite sciente, quo veheretur, cursum in Africam dirigit. Exposito in Africae litore exercitu, naves incendi jubet, ut omnes scirent, spe fugae adempta aut vincendum aut moriendum esse. Obvius eis fuit cum triginta milibus Poenorum Hanno. Sed proelio commisso duo de Siculis, tria milia de Poenis cum ipso duce ceciderunt.

2. Hac victoria et Siculorum animi[1] eriguntur et Poenorum[2] franguntur. Agathocles deinde castra in quinto lapide a Carthagine statuit, ut vastitatem agrorum et incendia villarum de muris ipsius urbis spectarent. Divulgata deleti[3] Poenorum exercitus fama, stipendiariae urbes et socii ad Agathoclem defecerunt frumentoque et stipendio victorem instruxerunt.

Ad haec Poenorum mala etiam deletus[3] in Sicilia cum imperatore exercitus velut quidam aerumnarum cumulus accessit. Nam post profectionem a Sicilia Agathoclis in obsidione Syracusarum Poeni segniores facti ab Antandro fratre regis Agathoclis occidione caesi nuntiabantur[4]. Interea Agathocles profligatis in Africa hostibus, tradito[5] Archagatho filio exercitu, in Siciliam recurrit, nihil actum in Africa existimans, si amplius Syracusae obsiderentur. Nam post occisum[3] Hamilcarem, Gisgonis filium, novus eo a Poenis missus exercitus fuerat. Statim igitur primo adventu[6] ejus Siciliae urbes, auditis rebus, quas in Africa gesserat, certatim se ei tradunt; atque ita pulsis e Sicilia Poenis totius insulae imperium occupavit. In Africam deinde reversus seditione militum excipitur. Nam stipendiorum solutio in adventum patris dilata a filio fuerat. Itaque ad contionem vocatos blandis verbis permulsit: Stipendia illis non a se flagitanda esse, sed ab hoste quaerenda; communem victoriam, communem praedam futuram. Sedato militari tumultu ad castra hostium exercitum ducit; ibi inconsultius proelium committendo[7] majorem partem exercitus perdidit.

3. Cum in castra fugisset versamque in se invidiam temere commissi proelii[1] videret pristinamque offensam non depensi[2] stipendii metueret, concubia nocte solus e castris profugit navibusque, quibus reversus a Sicilia fuerat, Syracusas defertur. Interim in Africa post fugam regis milites, pactione cum hostibus facta[3], interfectis Agathoclis liberis, Carthaginiensibus se tradiderunt. Poeni ad persequendas belli reliquias duces in Siciliam miserunt, cum quibus Agathocles pacem aequis conditionibus fecit.

Deinde quasi nimis angustis insulae terminis clauderetur, in Italiam transcendit. Primi igitur hostes illi Bruttii fuerunt, qui multas civitates Graeci nominis[4] Italia expulerant Sed interjectis paucis diebus reverti eum in Siciliam vis morbi coegit, quo mortuus est. Carthaginienses, cognitis[5] quae in Sicilia agebantur, occasionem totius insulae occupandae datam sibi existimantes magnis viribus eo trajiciunt multasque civitates subigunt.

4. Eo tempore etiam Pyrrhus rex Epiri adversus Romanos * bellum gerebat, qui arcessitus a Siculis cum Syracusas venisset, rex Siciliae appellatur. Quarum rerum felicitate laetus Heleno filio Siciliae velut avitum (nam susceptus[1] ex filia Agathoclis regis erat), Alexandro autem Italiae regnum destinat. Multa secunda proelia cum Carthaginiensibus facit. Interjecto deinde tempore legati ab Italicis sociis venerunt nuntiantes, resisti Romanis non posse[2], deditionemque futuram, nisi subveniat. Instantibus hinc Carthaginiensibus inde Romanis, periculosum videbatur exercitum in Italiam non trajicere, periculosius a Sicilia deducere, ne aut illi non lata ope[3] aut hi deserti amitterentur. Tutissimum visum est, omnibus viribus acie decernere in Sicilia et profligatis Carthaginiensibus victorem exercitum trajicere in Italiam. Itaque conserto proelio cum[4] superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abire et tamquam victus fugere visus est ac propterea socii ab eo defecerunt, imperium Siciliae tam cito amisit, quam facile quaesierat. Sed nec in Italia meliore felicitate usus in Epirum revertitur.

5. Postquam profectus est a Sicilia Pyrrhus, magistratus Hiero creatur, cujus tanta moderatio fuit, ut consentiente omnium civitatum favore dux adversus Carthaginienses primum mox rex crearetur (275—216). Is implicatus bello, quod Romani cum Poenis gesserunt, victus pacem cum populo Romano fecit et ex eo tempore inter bellum Punicum primum et initia secundi hanc societatem cum fide[1] coluit. Hierone mortuo Hierŏnymus, ejus nepos, rex factus foedus cum Carthaginiensibus contra Romanos iniit, sed paulo post a conjuratis occisus est (215). Syracusis a M. Marcello expugnatis (212), tota Sicilia in provinciae Romanae formam redacta est[2].

IV. Res Carthaginienses.

25. Bellum Punicum primum.

a. 264—241.

1. Devicta subactaque Italia populus Romanus cum usque ad fretum Siculum venisset, opulentissimamque in proximo praedam quodammodo ab Italia sua revulsam videret, adeo cupiditate ejus[1] exarsit, ut armis belloque insulam repetendam arbitraretur. Nec occasio defuit, cum de Poenorum superbia foederata[2] Siciliae civitas Messāna quereretur. Mamertīni enim, milites mercennarii Italici generis, qui Messanam urbem perfidia captam, viris occisis, obtinebant, ab Hierone Syracusano proelio victi Carthaginiensium praesidium arce receperant[3]; sed seditione facta[4] altera pars a Romanis, ut ab eodem ac ipsi Marte oriundis[5], auxilium petiverant. Itaque C. Claudius tribunus militum praemissus[6], freto clam trajecto et Carthaginiensibus per dolum ejectis, Messanam praesidio tenet, quam[7] ilico societate inter se facta Carthaginienses et Syracusani obsident. Consul Appius Claudius — is qui Romanis primus, ut navem conscenderent, persuasisse[8] ob eamque rem Caudex appellatus esse dicitur — solvendae obsidionis causa[9] missus primo ad explorandos hostes[9] fretum piscatoria nave trajecit. Rhegium regressus cum trajicere exercitum non posset, custodientibus fretum Poenis, sparsit rumorem, bellum injussu populi inceptum gerere se non posse, classemque in Italiam versus se agere simulavit. Digressis deinde Poenis, qui profectioni ejus habuerant fidem, converso sub noctem cursu[10] naves appulit ad Siciliam[10]. Syracusanos fugat, Carthaginienses in castra munita compellit. Adversus Hieronem saepius bene pugnatum; petenti pax data est.

2. Romani cum jam Hierone socio uterentur[1], oppida complura, quae in Carthaginiensium dicione erant, subegerunt; Segestanos occiso Poenorum praesidio ad se ultro desciscentes receperunt. Multae deinceps civitates in fidem venerunt, quarum operā multum juvabantur Romani[2]. Quinto belli anno Romani, cum Carthaginienses oras Italiae crebris exscensionibus factis[3] vexarent, mari[4] congredi ausi sunt. Tum quidem ipsa[5] velocitas classis comparatae[6] auspicium victoriae fuit. Nam diebus sexaginta, quibus[7] caesa materia erat, centum sexaginta navium classis in ancoris stetit. Cum Cn. Cornelius consul cum septendecim navibus Liparam versus vectus a classe Punica circumventus atque captus esset, alter consul C. Duīlius Poenos navali proelio ad Mȳlas primus devicit[9]. Qui cum videret, naves Romanas a Punicis velocitate superari, manus ferreas sive corvos excogitavit. Quae machina ubi injecta erat[10], milites quasi ponte[11] in hostium naves transcendebant atque comminus dimicabant, unde Romanis, qui robore[12] praestabant, facilis victoria fuit. Duilius victor Romam reversus primum navalem triumphum egit. Neque ulla[13] victoria Romanis gratior fuit, quod, invicti terra[4], jam etiam mari[4] plurimum possent[14]. Quam ob causam ei perpetuus honos habitus est[15], ut revertenti a cena, tibicine canente, funale praeferretur[16].

3. Anno insequenti L. Cornēlius consul contra Sardos et Corsos et Hannonem Poenorum ducem feliciter pugnavit. Atīlius Calatīnus consul ex maximis et munitissimis Siciliae civitatibus hostium praesidia dejecit. Cum ad Camarīnam temere exercitum in vallem iniquam duxisset, ab hostibus circumventus est, sed eximia virtute Calpurnii Flammae tribuni militum evasit. Qui[1] lecta trecentorum voluntariorum manu, cum eos ad tumulum capiendum situm inter medios[2] hostes duceret, Moriamur[3], milites, inquit, et morte nostra eripiamus ex obsidione circumventas legiones. Atque ita factum est. Hostibus enim in hos conversis, consul legiones in loca tuta atque edita subducit. Trecenti illi omnes telis obruti cadunt. Dii immortales tribuno militum fortunam ex[4] virtute ejus dederunt. Nam repertus inter mortuorum cumulos

solus omnium spirans sublatus est atque diligenti suorum cura * refectus, cum inter multa vulnera mortiferum nullum accepisset, * convaluit. Donatus est corona graminea, qua nulla fuit nobilior[5]. Contigit enim nulli nisi ab universo exercitu servato decreta[6]. Ceteras imperatores militibus dant, hanc solam * miles[7] imperatori. Dabatur viridi e gramine[8] decerpto inde, ubi obsessos servasset aliquis.

4. L. Manlio Vulsone M. Atīlio Rĕgulo coss.[1] victis navali proelio Poenis apud Ecnomum promontorium bellum in Africam translatum est. Prima Clupea urbs, quae a Punico litore quasi arx et specula procurrit, expugnata est; complura deinde castella capta ac diruta sunt. Consules us- * que ad Carthaginem processerunt, omnibusque circa vastatis Manlius consul Romam rediit, Regulo imperium prorogatum est. Id ipsum[2] per litteras ad senatum missas questus est, in quibus inter causas petendi successoris[3] erat, quod agellus suus villico mortuo a mercennariis desertus esset, ideo petere[4], ut sibi[5] successor mitteretur, ne deserto agro deesset[6], unde uxor ac liberi sui alerentur. Quae postquam senatus accepit[7], et agrum Atilii ilico colendum locari[8] et alimenta conjugi ejus ac liberis praeberi, resque, quas amiserat[9], redimi publice jussit.

5. Regulus proconsul in Africa relictus Poenos acie vincit, Tunĕtem capit, denique Carthaginem ipsam obsidione premit. Tum victi Carthaginienses pacem petierunt. M. Regulus, qui se certam in manu habere victoriam putaret, iniquissimas tulit pacis conditiones legatisque, ut aequiora imperaret[1], orantibus, vincendum aut vincentibus obtemperandum esse, respondit. Qua re exacerbati Poeni omnia prius pati decreverunt, quam eas admittere conditiones, quas nihil aliud nisi civitatis servitutem esse arbitrabantur[2]. Sed de suorum[3] ducum virtute desperantes Xanthippo Lacedaemonio, qui mercennarios e Graecia conductos ducebat, totius exercitus imperium deferunt. Is sola loci commutatione fortunam belli convertit. Nam cum animadvertisset, Afros, qui equitatu et elephantis praestabant, colles sectari[4], a Romanis autem, quorum robur in pedite erat, campos teneri, Poenos in planitiem

deduxit; ibi per elephantos[5] dissipatis ordinibus Romanorum, sparsos per Numidas persecutus, eorum exercitum fudit fugavitque[6]. Ingens fit caedes Romanorum, consul vivus in manus hostium[7] venit. Ex toto exercitu non amplius[8] duo milia hominum Clupeam incolumes evaserunt. Quibus ex rebus multum Xanthippo gloriae[9], nec minus, ut solet, invidiae[9] nascebatur. Quam ut evitaret, ante mutationem animorum aut fortunae domum redire statuit. Navigantem[10] perfidiā Poenorum[11] in alto demersum esse, nonnulli auctores sunt[12].

6. Insequentis anni ambo[1] Romani consules ad Africam profecti cum trecentarum navium classe Poenos terra marique superant, sed fame coacti militibus in naves impositis[2] Siciliam * repetunt. Dum Pachȳnum circumnavigant, tempestate coorta[3] totam fere classem amittunt.

Annis insequentibus duae classes Romanae naufragio perierunt, ut senatus mari[4] abstinendum, sexaginta tantum navibus Italiam defendendam esse censeret[4]. Panormus tamen et Himera in Sicilia expugnatae sunt. L. Caecilius Metellus bellum adversus Hasdrubalem gerens, simulato timore, * intra Panormum copias tenuit fossamque magnae altitudinis[5] ante se duxit. Conspecto deinde exercitu Hasdrubalis, qui in prima acie CXXX elephantos habebat, praecepit velitibus, tela in beluas jacerent[6] protinusque se intra munimenta reciperent. Ea ludificatione[7] rectores elephantorum concitati in ipsam fossam[8] elephantos egerunt. Qua re impediti, partim magnitudine telorum[9] confecti sunt, partim retro in suos acti totam aciem turbaverunt. Tunc Metellus hanc oppertus occasionem cum toto exercitu erupit et aggressus a latere viginti milia Poenorum cecidit, elephantos cepit; quos Romam deductos in triumpho egit[10].

7. Post haec mala Carthaginienses Regulum, quem in carcere tenebant, Romam miserunt, ut de pace, et, si eam non posset impetrare, de captivis commutandis ageret. Juratus[1] missus est, ut, nisi redditi essent[2] Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, inductus in senatum mandata exposuit, sententiam ne[3] diceret recusavit; quamdiu jure jurando hostium teneretur[4], non esse

se senatorem. Jussus[5] tamen sententiam dicere, reddi captivos negavit[6] esse utile; illos enim adulescentes esse et bonos duces, se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt, ipse Carthaginem rediit neque eum caritas patriae retinuit nec suorum. Neque vero tum ignorabat[7], se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci, sed jusjurandum conservandum putabat. Carthaginienses eum resectis palpebris illigatum in machina[8], in qua undique praeacuti stimuli eminebant, vigilando necaverunt[8].

8. Romani nova classe comparata Lilybaeum frustra obsidebant. Tum P. Claudius Pulcher consul, superbe reprehensis priorum ducum consiliis, apud Drepanum contra auspicia pugnavit. Nam cum cavea liberati[1] pulli non pascerentur, per jocum[2] deos irridens mergi eos in aquam jussit, ut biberent, quoniam ēsse nollent. Qui risus classe devicta multas ipsi lacrimas, magnam populo Romano cladem attulit. Ea pugna[3] Romanorum naves perierunt nonaginta tres, consul cum paucis evasit. Collega quoque ejus L. Jūnius tempestate classem amisit, cum auspiciis non paruisset. Parendum profecto religioni fuit nec patrius mos tam contumaciter repudiandus[4]. Jure igitur alter consul populi judicio damnatus est, alter mortem sibi ipse conscivit[5]. Tum Hamilcar Barcas Poenorum dux in Siciliam missus est, qui, Lilybaeum Romanis terra marique obsidentibus, partem classis suae procul armatam jussit ostendi. Ad ejus conspectum cum evolassent Romani, ipse reliquis, quas in occulto tenuerat[6], navibus Lilybaei portum occupavit. Postea Erycem urbem cepit eamque adversus Romanos obsidentes defendit.

9. Rebus deinde adversus Poenos a compluribus ducibus prospere gestis[1], C. Lutātius Catulus consul tandem bello finem imposuit, cum quadringentas Poenorum naves, quas commeatibus et aliis oneribus impeditas Hanno in Siciliam ducebat, apud Aegātes insulas depressit aut cepit. Pacem petentibus hac conditione[2] concessit[3]: Siciliā ceterisque insulis[4] intra Italiam Africamque decederent[5]; Hispaniā[4] citra Ibērum fluvium abstinerent; mille talenta statim, deinde proximo decennio duo milia ducenta penderent.

26. Hamilcar Barcas.

1. Hamilcar Hannibalis filius cognomine[1] Barcas Carthaginiensis primo Punico bello[2] sed temporibus extremis[2] admodum adulescentulus in Sicilia praeesse coepit exercitui[3]. Cum eius adventu[2] male res gererentur Carthaginiensium[4], ipse Erycem oppidum defendit. Interim Carthaginienses classe apud insulas Aegates a C. Lutatio Catulo consule Romanorum superati statuerunt belli facere finem[5] eamque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille etsi flagrabat bellandi cupiditate[6], tamen paci esse serviendum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus diutius calamitates belli ferre non posse intelligebat, sed ita ut[7] statim mente agitaret, si paulum modo res essent refectae[8], bellum renovare Romanosque armis persequi, donec communi Marte aut vicissent aut victi manus dedissent[9]. Hoc consilio pacem conciliavit. In qua re tanta fuit ferocia[10], cum[11] Catulus negaret bellum se compositurum esse[12], nisi ille cum suis, armis relictis, Sicilia decederet, ut[11] succumbente patria ipsum periturum se potius diceret, quam[13] cum tanto flagitio[14] domum rediret; non enim suae esse virtutis[15] arma a patria accepta adversus hostes adversariis tradere. Huic pertinaciae cessit Catulus.

* 2. At ille, ut Carthaginem venit, longe aliter, ac[1] speraverat, rem publicam se habentem[2] cognovit. Nam diuturnitate[3] externi mali tantum exarsit intestinum bellum, ut nunquam in pari periculo fuerit Carthago, nisi cum deleta est[4]. Mercennarii milites, quibus adversus Romanos usi fuerant, desciverunt; quorum numerus erat viginti milium[5]. Hi totam abalienarunt Africam, ipsam Carthaginem oppugnarunt. Quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, ut etiam auxilium ab Romanis peterent. Cum prope jam ad desperationem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solum hostes a muris Carthaginis removit, cum amplius centum milia facta essent armatorum[6], sed etiam eo compulit[7], ut locorum angustiis clausi plures fame quam ferro interirent.

Omnia oppida abalienata, in his Uticam atque Hipponem, valentissima totius Africae, restituit patriae.

3. His rebus ex sententia[1] peractis, quo facilius[2] causam * bellandi reperiret, effecit, ut imperator[3] cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eoque secum duxit[4] filium Hannibalem annorum novem[5]. Erat praeterea cum eo adulescens illustris Hasdrubal gener ejus. De hoc ideo mentionem fecimus, quod Hamilcare occiso ille exercitui praefuit resque magnas gessit[6], eiusdemque post mortem[7] Hannibal ab exercitu accepit imperium.

4. At Hamilcar, posteaquam mare transiit in Hispaniamque venit[1], magnas res secunda gessit fortuna. Maximas bellicosissimasque gentes subegit, equis, armis, viris[2], pecunia locupletavit Africam. Cum Italiae bellum inferre meditare- * tur, nono anno postquam in Hispaniam venerat[3], in proelio[4] pugnans adversus Vettŏnes occisus est. Huius perpetuum odium erga[5] Romanos maxime concitasse videtur secundum bellum Punicum. Nam Hannibal, filius eius, assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut interire quam Romanos non experiri[6] mallet.

27. Hannibal.

Bellum Punicum secundum a. 218—201.

1. Si verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit[1], non est infitiandum, Hannibalem tanto[2] praestitisse[3] ceteris imperatoribus prudentia, * quanto[2] populus Romanus antecedat[3] fortitudine cunctis na- * tionibus. Nam quotiescunque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior[4]. Quod nisi[5] domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse[6]. Sed multorum obtrectatio[7] devicit unius virtutem.

2. Odium autem paternum erga Romanos velut hereditate relictum[1] sic conservavit, ut prius animam quam id deposuerit. Ipse hoc declaravit, cum patria pulsus apud Antiochum Syriae regem exsularet. Ad quem[2] cum legati venissent[3] Romani,

qui eius voluntatem explorarent[4] darentque operam, ut[5] consiliis clandestinis[6] Hannibalem in suspicionem regi adducerent[7], * tamquam ab ipsis corruptus alia atque antea sentiret[8], neque id frustra fecissent[9] idque Hannibal comperisset[9] seque ab interioribus consiliis segregari vidisset[8], tempore dato[10] adiit ad regem, eique cum multa de fide sua et odio in[11] Romanos commemorasset, hoc adiunxit: Pater meus, inquit, Hamilcar, puerulo me[12], utpote non amplius novem annos nato[12], in Hispaniam imperator proficiscens[12] Carthagine Jovi optimo maximo[13] hostias immolavit. Quae divina res dum conficiebatur[14], quaesivit a me[15], vellemne secum[16] in castra proficisci. Id cum libenter accepissem[8] atque ab eo petere[15] coepissem[17], ne dubitaret[5] me secum ducere[18], tum ille: Faciam, inquit, si mihi fidem, quam postulo, dederis[19]. Simul me ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque ceteris remotis tenentem iurare iussit[20], nunquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego iusiurandum patri datum usque ad hanc aetatem[21] ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin[22] reliquo tempore eadem mente sim futurus[23]. Quare, si quid amice de Romanis cogitabis[24], non imprudenter feceris, si me celaveris[25]. Cum quidem bellum parabis[26], te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris[27][11].

3. Hac igitur, qua diximus, aetate[1] cum patre in Hispaniam profectus est. Cuius post obitum, Hasdrubale imperatore suffecto[2], equitatui omni praefuit. Hoc quoque interfecto exercitus summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem * delatum[3] publice comprobatum est. Sic Hannibal, sex et viginti annos natus[4] imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit. Saguntum, foederatam Romanis civitatem, oppugnavit, quae[5] oppugnatio causa fuit belli Punici secundi. Senatus Romanus legatos ad Hannibalem misit, ut a Sagunto recederet[6]. Cum non pareret, legati Carthaginem ierunt. Saguntini interea fame victi sunt captique[7] ab Hannibale ultimis suppliciis affecti. Tum P. Cornēlius Scīpio consul cum exercitu in Hispaniam profectus est, Tiberius Semprōnius in Siciliam, inde in Africam trajecturus; bellum Carthaginiensibus indictum est. Hannibal, relicto in Hispania

fratre Hasdrubale, saltum Pȳrēnaeum transiit. Quacunque iter fecit, incolas subegit. Conflixit primum apud Rhodanum cum equitibus a Scipione consule, ut iter impedirent, praemissis.

4. (a. 218.) Ad Alpes posteaquam venit[1], quae Italiam ab Gallia sejungunt, quas nemo unquam[2] cum exercitu ante eum praeter Herculem Grāium transierat, quo facto is hodie[4] saltus Graius appellatur, Alpicos conantes prohibere transitu[5] concīdit. Loca patefecit, itinera muniit, effecit, ut eā[6] elephantus ornatus[7] ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. Hac copias traduxit in Italiamque pervenit. Ad Ticīnum fluvium occurrit ei P. Cornelius Scipio. Commisso proelio fugatis suis[8], consul ipse vulneratus Placentiam cis Padum concessit[8]. Tum Ti. Sempronius ex Sicilia revocatus, conjunctis cum collega copiis[9], confligit apud Trebiam amnem; is quoque vincitur.

5. (a. 217.) Inde Hannibal per Ligures[1] Appenninum transiit petens Etrūriam[2]. Hoc itinere[3] adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunquam dextro aeque bene[4] usus sit. Qua valetudine cum etiamtum premeretur lecticaque[3] ferretur, C. Flaminium consulem apud Trasimēnum cum exercitu insidiis circumventum[5] occidit. Nam cum arta quaedam via in radice montis in campos patentes duceret, simulata fuga per angustias evasit. Nocte dispositis militibus, et per collem, qui imminebat[6], et in lateribus angustiarum prima luce, nebula quoque adjutus, aciem direxit. Flaminius velut fugientem insecutus cum angustias esset ingressus, non ante providit insidias, quam simul a fronte, lateribus, tergo[7] circumfusus[5] ad internecionem cum exercitu caesus est.

6. Inde Hannibal in Pīcēnum profectus[1], exercitu refecto, in Apuliam pervenit. Missus adversus eum est Q. Fabius Maximus dictator, qui cunctando[2] ejus impetus fregit. Is in agro Falerno ex Campania in Samnium redeunti[3] se objecit. At Poenus clausus locorum angustiis[4] noctu sine ullo detrimento[5] se expedivit. Namque boves, quibus ad cornua fasciculos alligaverat sarmentorum, subjecto igni dimisit. Romani, qui ad speculandum procurrerant, primo prodigium esse opi-

nati sunt; deinde cum certa Fabio renuntiassent, ille insidiarum metu[6] suos castris[7] continuit; Poeni obsistente nullo[8] per angustias profecti sunt.

Cum inter Fabium dictatorem et Minucium magistrum equitum scito plebis[9] divisus esset exercitus et Fabius in occasiones immineret[10], Minucius[11] pugnandi cupiditate flagraret, Hannibal castra in campo, qui medius inter hostes erat[12], posuit, et cum partem peditum in confragosis[13] rupibus celasset, ipse ad evocandum hostem misit, qui[14] proximum tumulum occuparent. Ad quos opprimendos cum eduxisset copias Minucius, insidiatores ab Hannibale dispositi[15] subito consurrexerunt, et delessent Minucii exercitum, nisi Fabius periclitantibus subvenisset[16].

7. Quingentesimo et duodequadragesimo anno a. U. c[1]. (a. Chr. n. 216) L. Aemilius Paulus, C. Terentius Varro consules creati sunt. Fabius consules monuit, ut Hannibalem, callidum ducem, non aliter[2] vincere conarentur, quam proelium differendo[3]. Verum cum impatientia et temeritate[4] Varronis consulis, dissuadente[5] consule altero, in Apulia apud Cannas pugnatum esset, ambo[6] consules victi sunt. Cecidit in ea pugna[7] L. Paulus; nam, offerente equum Lentulo, quo fugeret[8], su- * perstes esse cladis quamquam non per ipsum contractae noluit[9], * sed in eo saxo, in quod se vulneratus acclinaverat, persedit, donec ab hostibus oppressus confossus est. Várro collega paucos Romam incolumes[10] reduxit, gratiaeque ei ab senatu et populo actae sunt[11] quod non desperasset de re publica. Post pugnam Cannensem[12] multae Italiae civitates ad Hannibalem deficiebant. Ipse Capuam in hiberna concessit. Campana luxuries Poenum armis etiamtum invictum voluptate[13] vicit.

* 8. Imperium Romanum Cannensi proelio paene deletum vix sufficere ad exercitus comparandos videbatur. Quattuor tamen legionibus conscriptis et octo milibus servorum sacramento adactis[1], Q. Fabius Maximus consul tertium[2] Hannibalis conatus impedivit. Frustrari et eludere[3] Poenorum impetus, * quam acie decernere melius ratus, quamvis ab Hannibale specie bene gerendae rei[4] oblata irritatus, nunquam a salubri suo consilio recessit. Primus M. Claudius Marcellus consul

apud Nōlam, Campaniae oppidum, contra Hannibalem bene pugnavit. (a. 215.)

Eo tempore cum rex Macedŏnum Philippus cum Hannibale foedus fecisset legatisque missis auxilia promitteret, Romani M. Valerium Laevīnum praetorem in Macedoniam ire jusserunt, in Sardiniam T. Manlium Torquātum proconsulem; nam etiam ea sollicitata ab Hannibale Romanos deseruerat. Ita uno tempore quattuor locis pugnabatur: in Italia contra Hannibalem, in Hispaniis contra fratrem ejus Hasdrubalem, in Macedonia contra Philippum, in Sardinia contra Sardos et alterum Hasdrubalem Carthaginiensem.

9. Dum[1] Hannibal circa Tarentum versatur, Marcellus in Siciliam profectus Syracusas terra marique oppugnare coepit, sed ejus impetus Archimēdis operibus reprimebantur. In Hispania * Scipiones, qui per multos annos victores fuerant, ab Hasdrubale circumventi interficiuntur; exercitus tamen integer[2] mansit. Syracusae deinde captae sunt a Marcello (a. 212.) Qui cum delectatus eximia Archimedis prudentia, ut capiti illius parceretur[3], edixisset, permoleste tulit, cum interfectum audisset. Is enim dum animo et oculis in terra defixis[4] formas describit[5], militi, qui praedandi causa in domum[6] irruperat strictoque super caput gladio, quisnam esset[7], interrogabat, nomen suum non indicavit, sed protecto manibus pulvere: Noli, inquit, obsecro, circulos meos disturbare[8]! ac obtruncatus sanguine suo artis suae lineamenta confudit. Syracusas Marcellus incolumes servavit; Archimedis sphaeram ex urbe locupletissima atque ornatissima sustulit, cum[9] aliud nihil ex tanta praeda domum suam deportavit.

10. P. Sulpicio, Cn. Fulvio coss. (a. 211) Hannibal usque ad quartum miliarium urbis accessit, equites ejus usque ad portas. Mox consulum metu[1], cum exercitu venientium, in Campaniam, inde ad Rhēgium recessit. Fulvium consulem deinde subito aggressus cum octo milibus hominum[2] interfecit.

Interea in Hispanias P. Cornelius Scipio Publii filius annos natus quattuor et viginti a populo creatus cum imperio mittitur. Is Ibero trajecto[3] Carthaginem novam capit, Hasdrubalem ad Baeculam vincit (a. 209), qui inde fugiens

Pyrenaeum saltum et Galliam petit[4]. In Italia Q. Fabius Maximus quintum consul Tarentum recepit ab Hannibale captum. Insequenti anno M. Claudius Marcellus consul cum[5] castra ad Venusiam haberet exploratumque profectus[5] in insidias ab Hannibale structas incidisset, interemtus est.

11. Desperans Hannibal, Hispanias contra Scipionem ducem diutius posse retineri, fratrem suum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is eodem itinere, quo[1] Hannibal venerat, Alpes trajecit; actumque erat[2] de Romano imperio, si conjungere se cum Hannibale potuisset. Sed C. Claudius Nero consul, qui in Apulia castra ad Hannibalis castra admoverat[3], relicta parte exercitus, cum delectis ad M. Līvium Salīnātorem collegam in Umbriam properavit et apud Sēnam oppidum et Metaurum fluvium (a. 207) ambo[4] proelio vicerunt; ipse Hasdrubal strenue pugnans occisus est. Nero regressus pari celeritate, qua[5] venerat, caput Hasdrubalis in castra Hannibalis jecit. Quo ille viso agnoscere se fortunam Carthaginis fertur[6] dixisse. Romanis animus augetur; itaque etiam ipsi[7] ex Hispania evocaverunt P. Cornelium Scipionem. Is anno quarto decimo, postquam in Italiam Hannibal venerat[8], consul est factus eique provincia Sicilia data, quam prorogato imperio[9] insequenti quoque anno tenuit, ex eaque cum classe in Africam trajecit.

12. Hujus consiliis ac virtute Hannibal ex Italia decedere coactus est. Victi enim duobus proeliis Carthaginienses in Africam eum, ut patriam defenderet, revocaverunt. Hannibal, exhaustis jam patriae facultatibus, cupivit in praesentia bellum componere[1], quo valentior[2] postea congrederetur. In colloquium conveniunt duo[3] summi imperatores; conditiones inter eos non convenerunt[4]. Paucis diebus post[5] apud Zamam (a. 202) pugnatum est. Hannibal cum haberet exercitum ex Poenis et auxiliaribus, quorum pars non solum ex diversis populis, sed etiam ex Italicis constabat, post elephantos octoginta, qui in prima fronte positi[6] hostium turbarent aciem, auxiliares Gallos et Ligures et Baleāres Maurosque posuit, ut[7] fugere non possent, Poenis a tergo stantibus[8], et hostem si non sustinerent, at certe fatigarent: tum suis et Mace-

donibus, qui jam fessos Romanos integri[9] exciperent, in secunda acie collocatis[6], novissimos[9] Italicos constituit, quorum et timebat fidem et segnitiem verebatur[10], quoniam plerosque eorum ab Italia invitos[9] extraxerat. Scipio adversus hanc formam robur legionum[11] triplici acie ordinatum per[12] hastatos * et principes et triarios[13] opposuit; nec continuas[9] construxit cohortes, sed manipulis inter se distantibus spatium dedit, per quod elephanti ab hostibus acti[14] facile transmitti[15] sine perturbatione ordinum possent. Ea ipsa intervalla velitibus implevit[16], ne interluceret[17] acies, dato iis praecepto, ut ad * impetum elephantorum vel retro vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua divisit et a sinistro[18] Romanis equitibus Laelium, a dextro Numidis Masinissam praefecit[19]. Quae tam prudens ordinatio[20] sine dubio causa victoriae fuit. * Hannibal cum paucis Hadrumētum effugit; ibi reliquos e fuga collegit, novis delectibus paucis diebus[21] multos contraxit. Cum in apparando acerrime esset occupatus, Carthaginienses bellum cum Romanis composuerunt. Senatus ex arbitrio[22] Scipionis pacem jusserat fieri[23]; Scipio his conditionibus dedit: ut[24] liberi legibus suis viverent, quas urbes quosque agros[25] ante bellum tenuissent, tenerent; captivos omnes redderent Romanis et naves rostratas praeter decem triremes traderent elephantosque quos haberent domitos[26]; bellum injussu populi Romani ne gererent[27]; Masinissae res redderent[28] foedusque cum eo facerent; decem milia talentum[29] argenti, discripta pensionibus aequis[30] in annos quinquaginta solverent; * obsides centum arbitratu[22] Scipionis darent. Sunt qui[31] Hannibalem ex acie ad mare pervenisse, inde praeparata nave[32] ad regem Antiochum extemplo profectum tradant, postulantique ante omnia Scipioni, ut Hannibal sibi traderetur, responsum esse, Hannibalem in Africa non esse.

13. Hannibal nihilo setius exercitui postea praefuit resque in Africa gessit[1] usque ad P. Sulpicium C. Aurēlium consules. (a. 196) His enim consulibus[2] legati Carthaginienses Ro- * mam venerunt, qui senatui populoque Romano gratias agerent[3], quod cum iis[4] pacem fecissent, ob eamque rem corona aurea eos donarent[5] simulque peterent, ut obsides eorum[4] Fregellis

essent[6] captivique redderentur. His ex senatus consulto responsum est: munus eorum gratum acceptumque esse[7]; obsides, quo loco[8] rogarent, futuros; captivos se non remissuros, quod Hannibalem, cuius opera susceptum bellum esset[9], inimicissimum nomini Romano[10], etiamnunc cum imperio apud exercitum haberent itemque fratrem eius Magonem. Hoc responso Carthaginienses cognito Hannibalem domum revocaverunt. * Eo ut rediit, rex factus est[11]. Ut enim Romae consules, sic Carthagine quotannis annui[12] bini reges creabantur[13]. In eo magistratu pari diligentia[14] se praebuit ac[15] fuerat in bello. Nam effecit, ex novis vectigalibus non solum ut esset pecunia[16], quae Romanis ex foedere[17] penderetur, sed etiam superesset, quae in aerario reponeretur[18]. Deinde Roma legati Carthaginem venerunt. Quos Hannibal ratus sui exposcendi gratia[19] missos, priusquam iis senatus daretur[20], navem conscendit clam atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palam facta Poeni naves duas, quae eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt, bona eius publicarunt, domum a fundamentis[21] disjecerunt, ipsum exsulem[22] iudicarunt.

14. At Hannibal anno tertio, postquam domo profugerat[1], cum quinque navibus in Africam accessit in finibus Cyrēnaeorum, si Carthaginienses ad bellum Antiochi spe fiduciaque * inducerentur[2], cui jam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem excivit. Id ubi Poeni resciverunt[3], Magonem eadem, qua fratrem, absentem affecerunt poena[4]. Illi desperatis rebus[5] cum solvissent naves ac vela ventis dedissent[6], Hannibal ad Antiochum pervenit; de Magonis interitu duplex memoriă[7] prodita est. Alii naufragio eum perisse, alii a servis ipsius interfectum esse scriptum reliquerunt[8]. Antiochus autem si tam in gerendo bello[9] consiliis Hannibalis parere voluisset, quam in suscipiendo instituerat[10], propius Tiberim quam Thermopylas de summa imperii dimicasset[11]. Quem etsi multa stulte conari[12] videbat * Hannibal, tamen nulla in re deseruit. Praefuit[13] navibus, quas ex Syria iussus erat[14] in Asiam ducere, iisque adversus * Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. Cum[15] pugnae navalis exercitatione adversariorum sui superarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior[16].

15. Paulo post Antiocho ad Magnēsiam (a. 190) fugato, veritus ne[1] dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem[2], Crētam ad Gortȳnios venit, ut ibi, quo se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, in magno se fore periculo, nisi quid providisset[3], propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat[4], de qua sciebat exisse famam[5]. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo[6], summas[7] operit auro et argento. Has praesentibus principibus[8] deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. Sic illis in errorem inductis statuas aeneas, quas secum portabat, omni sua pecunia complet easque in propatulo domi[9] abjicit. Gortynii templum magna cura[10] custodiunt, non tam a[11] ceteris quam ab Hannibale, ne ille inscientibus iis[12] amphoras tolleret secumque duceret[13].

16. Sic conservatis suis rebus[1] Poenus, illusis Cretensibus omnibus[2], ad Prūsiam regem in Bīthȳniam pervenit. Apud quem eodem animo fuit[3] erga Italiam neque aliud quidquam egit, quam regem armavit et exercuit adversus Romanos[4]. Quem cum videret domesticis opibus minus[5] esse robustum, conciliabat[6] ceteros reges, adiungebat[6] bellicosas nationes. Dīssidebat ab eo Pergamēnus rex Eumenes, Romanis amicissimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terra. Cum Hannibali depugnari placeret[7], negabat[8] rex se audere, quod exta prohiberent. „Ain' tu[9], inquit ille, carunculae vitulinae mavis quam imperatori veteri credere?“ Sed Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem et navium multitudinem. Dolo igitur erat pugnandum, cum par non esset armis[10] Hannibal. Jussit[11] quam plurimas[12] venenatas serpentes vivas[13] colligi et in vasa fictilia conjici medioque proelio[14] in naves hostium mitti. Id initio[15] risum Pergamenis concitabat, neque, quare id fieret, poterat intelligi[16]; sed ubi serpentibus coeperunt naves repleri[17], ancipiti proelio circumventi puppes verterunt[18].

17. Quae dum in Asia geruntur[1], accidit casu, ut[2] legati Eumenis Romae apud L. Quintium Flaminīnum consularem cenarent atque ibi de Hannibale mentione factā ex his unus diceret, eum in Prusiae regno esse. Id postero die Flamini-

nus ad senatum detulit. Patres conscripti, qui Hannibale vivo[3] nunquam se sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithyniam miserunt, in his[4] T. Flamininum, qui ab rege peterent[5], ne inimicissimum suum secum haberet sibique dederet[6]. Prusias negare[7] ausus non[8] est; illud recusavit[9], ne id a se fieri postularent[9], quod adversus jus hospitii esset; ipsi, si possent, comprehenderent[10]; locum, ubi esset, facile inventuros. * Hannibal enim se tenebat in castello, quod ei a rege datum erat muneri[11], idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet[12], scilicet veritus, ne usu veniret[13], quod accidit. Huc cum legati Romanorum venissent ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab ianua prospiciens[14] Hannibali dixit, plures praeter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret, num[15] eodem modo undique obsideretur. Cum puer celeriter, quid esset, renuntiasset omnesque exitus occupatos ostendisset, sensit Hannibal id non fortuito factum esse, sed se peti[16], neque sibi diutius vitam esse retinendam[17]. Quam ne alieno arbitrio amitteret[18], memor[19] pristinarum virtutum, venenum, quod semper secum habere consueverat[20], sumpsit. Sic vir fortissimus multis variisque perfunctus[21] laboribus anno acquievit septuagesimo fere. Insignis hic annus (183) trium toto orbe maximorum imperatorum mortibus fuit, Hannibalis, Philopoemenis, Scipionis Africani[22].

Phaedri fabulae.

---

1. Uvae acerbae.

Fame coactā vulpes alt*ā* in vīneā
Uv*am* appetebat summis săliens viribus.
Quam tanger*e* ut non pŏtuit, discedens ait:
Nondum matura *e*st, nol*o* acerbam sumere.

2. Amittit mĕrĭto prŏprium, qu*i* alien*um* appetit.

Canis per flumen carnem cum ferret nătans,
Aquar*um* in spĕcŭlo vidit sĭmŭlacrum suum;
Aliamque praed*am* ab ălio deferri putans,
Erĭpĕre vŏluit. Verum decept*a* ăvĭditas;
Et, quem tenebat ore, dimisit cibum,
Nec, quem petebat, pŏtuit dent*e* attingere.

3. Vulpes et corvus.

Cum de fenestra corvus raptum caseum
Comēsse vellet, celsa rĕsĭdens arbore,
Hunc vidit vulpes. D*e*inde sic coepit loqui:
O qui tuarum, corve, pennarum *e*st nitor!
Quantum decōris corpor*e* et vultu geris!
Si voc*em* haberes, nulla prior ăles foret.
At ille stultus, dum vult voc*em* ostendere,
Amisit ore caseum, quem cĕlĕriter
Dolosa vulpes ăvĭdis răpuit dentibus.

4. Inops potentem dum vult ĭmĭtari, perit.

In prato quondam rana conspexit bovem,
Et tact*ă* invĭdiā tantae magnitudinis

Rugos*am* inflavit pellem; tum natos suos
Interrogavit, an bov*e* esset latior?
Illi negarunt. Rursus intendit cutem
Majore nis*u*, et sĭmili quaesivit modo,
Quis major esset? Illi dixerunt: bovem.
Novissime indignata, dum vult vălĭdius
Inflare sese, rupto jăcuit corpore.

5.

Homo in periclum sĭmŭlac vēnit callidus,
Rĕpĕrire effŭgium quaerit alterĭus malo.

Cum decidisset vulpes in pŭte*um* inscia
Et altiore clauderetur margine,
Devenit hircus sĭtiens in eundem locum;
Simul rogavit, esset an dulcis liquor
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descend*e*, amice, tanta bŏnĭtas est aquae,
Voluptas ut sătiari non possit mea.
Immisit se barbatus. Tum vulpecula
Evasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumque clauso liquit haerentem vado.

6.

Haec propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

Ad riv*um* eundem lŭpus et agnus venerant,
Siti compulsi; sŭperior stabat lupus,
Longequ*e* infĕrior agnus. Tunc fauc*e* improba
Latr*o* incitatus jurgii caus*am* intulit.
Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi
Aquam bibenti? Laniger contra timens:
Qui possum, quaero, facere, quod quĕrĕris, lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus:
Ante hos sex menses mal*e*, ait, dixisti mihi.
Respondet agnus: Equidem natus non eram.
Păter, herculē, tuus, inquit, mălĕdixit mihi.
Atqu*e* Ĭtă correptum lăcerat injusta nece.

7. Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar.

Cani perpasto măcie confectus lupus
Fort*e* occucurrit: d*e*in salutant invicem.
Ut constiterunt: Unde sic, quaeso, nites?
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Egŏ, qui sum longe fortior, pĕreo fame. —
Canis simplĭciter: eăd*em* est conditio tibi,
Praestare dŏmino si par officium potes.
Quod? inquit ille. — Custos ut sis liminis,
A furibus tuearis et noctu domum. —
Ego vēro sum paratus: nunc patior nives
Imbresque in silvis asperam vitam trahens.
Quant*o* est facĭlius mĭhĭ, sub tecto vivere
Et otiosum largo sătiari cibo! —
Ven*i* ergo mecum. — Dum procedunt, aspicit
Lupus a catena collum detrītum canis. —
Und*e* hoc, amice? — Nĭhil est. — Dic, quaeso tamen. —
Quia vĭdeor ācer, alligant me interdiu,
Luce ut quiesc*am* et vĭgĭlem, nox cum venerit;
Crepusculo solutus, qua visum *e*st, vagor.
Affertur ultro panis; de mensa sua
Dat ossa dominus; frusta jactat fămĭlia,
Et quod fastīdit quisque pulmentarium.
Sic sĭne labore venter impletur meus. —
Age, si qu*o* abire est ănimus, est licentia?
Non plane est, inquit. — Fruere, quae laudas, canis!
Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

8. Muli duo et latrones.

Muli gravati sarcinis ibant duo;
Unus ferebat fiscos cum pecunia,
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille ŏnere dives cels*a* it cervic*e* eminens
Clarumque collo jactans tintinnabulum,
Comes quieto sĕquitur et plăcĭdo gradu.
Sŭbĭtō latrones ex insĭdiis advolant
Interque caedem ferro mulum sauciant,

Dirĭpiunt nummos, negligunt vil*e* hordeum.
Spŏliatus ĭgitur casus cum fleret suos:
„Equid*em*“ inquit alter „me contemptum gaudeo,
Nam nil amisi nec sum laesus vulnere.“
Hoc argumento tuta *e*st hominum tĕnŭitas;
Magnae periclo sunt opes obnoxiae.

9. Terraneola et vulpes.

Avis, quam dicunt terranĕŏlam rustici,
In terra nidum quĭă compōnit scīlicet,
Fort*e* occucurrit improbae vulpeculae;
Qua visa pennis altius se sustulit.
„Salv*e*“ inquit illa „cur me fugust*i*, obsecro?
Quăsĭ non abunde sit mih*i* in prato cibus,
Grilli, scărăbaei, locustarum copia:
Nĭhĭl est, quod mĕtuas, ĕgŏ te multum diligo
Propter quietos mores et vitam probam.“
Respondit contra: „Tu quidem bĕnĕ praedicas;
In campo non sum par tĭbi, sed sum sub dio;
Quin sĕquere; tibi salutem committo meam.“

10. Asinus et leo venantes.

Venar*i* asello cŏmite cum vellet leo,
Contexit illum frŭtic*e* et admonuit simul,
Ut insŭēta voce terreret feras,
Fugientes ips*e* excĭperet. Hic aurĭtulus
Clamorem sŭbito totis tollit viribus
Novoque turbat bestias miraculo.
Quae dum paventes exitus notos petunt,
Leonis affliguntur horrend*o* impetu.
Qui, postquam caede fessus est, asin*um* evocat
Jubetque vocem prĕmere. Tunc ill*e* insolens:
„Qualis videtur ŏpera tibi vocis meae?“
„Insignis“ inquit „sic, ut, nĭsi nossem tuum
Animum genusque, sĭmili fugissem metu.“

11. Viatores et latro.

Dua qu*um* incidissent in latronem milites,
Unus profugit, alter autem restitit
Et vindicavit sese forti dextera.
Latron*e* occiso tĭmidus accurrit comes
Stringitque gladium, d*e*in rejecta paenula:
„Ced*o*“ inquit „illum: jam curabo, sentiat,
Quos adtemptarit.“ Tunc qui depugnaverat:
„Vell*em* istis verbis salt*em* adjuvisses modo;
Constantior fuissem ver*a* existimans.
Nunc conde ferr*um* et linguam părriter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere.
Ego, qui *sum* expertus, quantis fugias viribus,
Scĭŏ quam virtuti non sit credendum tuae.

12. Aesopus et scriptor.

Aesopo quidam scripta rĕcĭtarat mala,
In quīs inepte multum se jactaverat.
Scir*e* ergo cŭpiens quidnam sentiret senex,
„Numquid tib*i*“ inquit „sum visus superbior?
Haud vana nobis ingeni fiducia *est*.“
Confectus ille pessimo volumine:
„Eg*o*“ inquit, „quod te laudas, vĕhementer probo,
Namqu*e* hoc ab alio nunquam continget tibi.“

13. De lusu et severitate.

Pueor*um* in turba quidam ludent*em* Atticus
Aesopum nŭcibus cum vidisset, restitit
Et quăsi delirum risit. Quod sensit simul
Derisor pŏtius quam diridendus senex,
Arcum retensum pŏsuit in mĕdia via:
„Heus!“ inquit, „sapiens, expedi, quid fecerim.“
Concurrit pŏpulus. Ille se torquet diu
Nec quaestionis pŏsitae caus*am* intelligit.
Novissime succumbit. Tum victor sophus:
„Corrumpes arcum, semper si tens*um* habueris;
At si laxaris, cum volēs erit ūtilis.
Sic ludus animo debet ăliquando dari,
Ad cogitandum mĕlior ut rĕdeat tibi.“

14. Praecepto monitus saepe te considera.

Habebat quidam filiam turpissimam
Idemqu*e* insignem pulchra făcie filium.
Hi, spĕcul*um* in căthĕdra matris ut positum fuit,
Puerīliter ludentes fort*e* inspexĕrunt.
Hic se formosum jactat, ill*a* irascitur
Nec gloriantis sustinet fratris jocos,
Accipiens quippe cunct*a* in contumeliam.
Erg*o* ad patrem decurrit laesur*a* in vicem
Magnaqu*e* invidia criminatur filium,
Vir natus quod rem feminarum tetigerit.
Amplexus ill*e* utrumqu*e* et carpens oscula
Dulcemqu*e* in ambos caritatem partiens:
„Quotīdi*e*" inquit „spĕculo vos uti volo:
Tu formam ne corrumpas nequitiae malis;
Tu făc*iem* ut istam moribus vincas bonis."

15. De vitiis hominum.

Peras imposuit Jupiter nobis duas:
Prŏpriis repletam vītiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.
Hac re videre nostra măla non possumus;
Alii simul delinquunt, censores sumus.

16. Arbores in Deorum tutela.

Olim, quas vellent ess*e* in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et myrtus Vĕnĕri plăcuit, Phoebo laurea,
Pinus Neptuno, pōpulus cels*a* Herculi.
Minerv*a* admirans, quare stĕrīles sumerent,
Interrogavit causam. Dixit Jupiter:
Honorem fructu ne videamur vendere. —
„At m*e* Hercules, narrabit quod quis vŏluerit;
Oliva nobis propter fructum *est* gratior." —
Tunc sic Deorum gĕnitor atqu*e* hominum pater:
O nata mĕrito săpiens dicēr*e* omnibus:
Nis*i* ūtil*e* est, quod facimus, stulta *est* gloria.

Filius perditus.

Personae fabulae:

Chremes *senex.* **Clitipho,** *ejus filius.*
Menedemus *senex.* **Clinia,** *ejus filius.*
Syrus, *servus Chremetis.*

Scena I.

Menedemus *rastris agrum fodit*; *accedit* Chremes.

Chremes. Pro deum atque hominum fidem! quid vis tibi? quid quaeris? Annos sexaginta natus es aut plus, ut conjicio; agrum in his regionibus meliorem nemo habet, servos nemo plures: tamen, proinde quasi nullus tibi sit, ita attente tu servorum officiis fungeris! Nunquam tam mane egredior neque tam vesperi domum revertor, quin te in fundo conspicer fodientem aut arantem aut aliquid facientem; denique nullum remittis tempus neque te respicis.

Men. Chremes, tantumne ab re tua est otii tibi, ut aliena cures, eaque quae nihil ad te attinent?

Chr. Homo sum; humani nihil a me alienum puto. Atque vicinitas et amicitia facit, ut te audacter moneam et familiariter. *M.* Hem, mihi sic est usus.

Ch. Num cuiquam est usus homini, ut se ipse cruciet?

M. Mihi quidem. *(lacrimat).*

Ch. Ne lacrima! atque fac ut sciam istud, quidquid est. Ne retice, ne verere, crede, inquam, mihi: aut consolando aut consilio aut re te juvabo. *M.* Scire hoc vis?

Ch. Hac quidem causa, qua dixi tibi. *M.* Dicetur.

Ch. At istos rastros interea tamen appone; ne labora.

M. Minime. *Ch.* Quam rem agis!

M. Sine me, ne quod dem mihi tempus laboris vacuum.

Ch. *(rastros illi demit)* Non sinam, inquam.

M. Ah, non aequum facis. *Ch.* Nunc loquere.

M. Filium unicum adulescentulum habeo. Ah! quid dixi? habere me? immo habui, Chreme. Nunc habeam necne, incertum est. *Ch.* Quid ita istud?

M. Scies. Erant ex urbe hic advenae adulescentuli improbi, qui animum ejus et mores corruperunt atque ad omnem nequitiam eum adduxerunt. Quid multa, in luxuriam et vitam dissolutam effunditur, aes alienum contrahit. Haec clam me omnia. Ubi rem rescii, coepi non humanitus eum tractare; quotidie accusabam: „Hem, tibine haec diutius licere speras facere me vivo patre? Erras, si id credis, et me ignoras, Clinia. Nulla ex re istud fit, nisi nimio ex otio. Ego istud aetatis non conviviis nocturnis operam dabam, sed in Asiam hinc abii propter pauperiem atque ibi simul rem et gloriam belli armis repperi." Postremo eo res rediit: filius saepe eadem et graviter audiendo victus est, in Asiam ad regem militatum abiit, Chremes. *Ch.* Quid ais?

M. Clam me profectus menses tres abest.

Ch. Impietatis quidem illud inceptum, prudentis tamen et strenui animi est signum.

M. Ubi comperi ex eis, qui fuere fugae conscii, ipse me accusavi; maestus atque perturbato animo prae aegritudine hic me exerceo, nec fas esse puto, ulla me voluptate frui, nisi ubi ille salvus redierit.

Ch. Ingenio te esse in liberos leni puto, et illum obsequentem, si quis recte tractaret; verum neque illum tu satis noveras, nec te ille. Tu, quanti illum penderes, nunquam ostendisti, nec ille tibi credere ausus est, quae filium patri credere aequum est. Quod si esset factum, haec nunquam evenissent.

M. Ita res est, fateor. Peccatum etiam a me est.

Ch. At ego bene de illo spero atque propediem illum salvum tibi hic affuturum confido.

M. Utinam ita di faxint!

Ch. Facient. — Nunc si commodum est, Dionysia hic sunt hodie: apud me sis volo. *M.* Non possum.

Ch. Cur non? Quaeso, tandem aliquantulum tibi parce.

M. Non convenit. *Ch.* Sicine est sententia?

M. Sic. *Ch.* Bene vale! *M.* Et tu! *(abit).*

Ch. Lacrimas excussit mihi miseretque me ejus. Sed tempus est monere me hunc vicinum Phaniam, ad cenam ut veniat. Ibo, visam, si domi est. *(intrat Phaniae domum; mox redit).* Nihil opus fuit monitore, jam dudum domi

praesto apud me esse ajunt; egomet convivas moror. Ibo adeo hinc intro.

Scena II. Chremes. Clitipho.

Chr. Sed quid crepuerunt fores hinc a me? Quisnam egreditur? Huc concessero *(secedit).*

Clit. *(in limine, introrsus loquens)* Nihil est quod vereare, Clinia; cave modo, ne forte quis te videat hic a patre exiens.

Chr. Quicum loquitur filius?

Clit. *(in scenam prodiens)* Pater adest, quem volui; adibo. Pater, opportune advenis. *Chr.* Quid est?

Clit. Hunc Menedemum nostin', nostrum vicinum?

Chr. Probe. *Clit.* Huic filium scis esse?

Chr. Audivi, esse in Asia.

Clit. Non est, pater; apud nos est. *Chr.* Quid ais?

Clit. Advenientem, e navi egredientem ilico abduxi ad cenam; nam mihi magna cum eo jam inde a pueritia fuit semper familiaritas.

Chr. Voluptatem magnam nuntias. Quam vellem Menedemum invitatum amplius, ut nobiscum esset, ut hanc laetitiam necopinanti primus objicerem domi meae. Atque hercle etiam nunc tempus est.

Clit. Cave faxis! *Chr.* Quapropter?

Clit. Quia timet patris iram. *Chr.* Quid narrat?

Clit. Quid ille? miserum se esse. *Chr.* Miserum?

Clit. Sane ille fuit senex importunus semper, et nunc nihil magis vereor, quam ne quid in illum iratus plus satis faxit, pater.

Chr. Illene? — sed reprimam me; nam in metu esse hunc est utile. *Clit.* Quid tute tecum?

Chr. Dicam. Utut erat, mansum tamen oportuit. Fortasse aliquantum iniquior erat pater: pateretur. Nam quem ferret, si parentem non ferret suum. Et quod illum insimulat durum, id non est. Recte sane parentes coercent filiorum temeritatem, ut eorum animos ad virtutem conforment. Verum ubi semel animus mala cupiditate se devinxit, necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia. Scitum est, periculum ex aliis facere, tibi quid ex usu sit.

Clit. Ita credo.

Chr. Ego ibo hinc intro, ut videam, quid cenae nobis sit. Tu, ut tempus est diei, vide sis, ne quo hinc abeas longius. *(abit.)*

Clit. Hem, mihi per alium ostendit suam sententiam.

Scena III.

Clinia. Syrus servus. Menedemus.

Clin. *(ambulans).* Nemo est miserior me!

S. Salve, Clinia! Quid tu es tam maestus et animo conturbato?

Clin. Nescisne, quo ego opprimar angore? Vel domum reducem me a domo patria abesse! filium patrem adire non audere!

S. At pater veniet huc ad te. *Clin.* Quid ais?

S. Ego missus a domino vocavi ad cenam. Cum negare perseveraret, nuntiavi, te hic esse apud nos. Veniet.

Clin. Iratus? Quid ait, ubi me nominas?

S. Ubi dico, redisse te, apud nos domi esse, timere patris iram, ille: „Dum illum modo habeam mecum; cupio ipsum jam videre“ et lacrimis opplet os totum sibi, ut facile scires, desiderio id fieri.

Clin. Syre mi, obsecro, ne me in laetitiam frustra conjicias! *S.* Non est mentiri meum.

Clin. Metuo, quid agam. *S.* Pater ecce advenit.

Clin. Dedo patri me nunc jam ut frugalior sim quam vult.

Men. Videone Cliniam? Salve, mi anime! O mi Clinia, salve! Salvum redisse gaudeo. Teneo te!

Clin. Peccavi, pater, fateor. Nunc hoc obsecro, ut meae stultitiae clementia tua sit aliquid praesidii.

Men. Multo omnium me nunc fortunatissimum puto esse, gnate, cum te intelligo resipisse.

Clin. Prae gaudio, ita me di ament, ubi sim nescio.

Syr. Ite intro; nam vos jam dudum exspectat senex.

Vos valete et plaudite!

Lexikon.

Formen, über welche der Schüler nicht zweifelhaft sein kann, z. B. die Genitive der Wörter der 1. und 2. und manche der 3. Decl., die Motion der Adjectiva auf us und is, sind nicht angegeben. s. bedeutet sich.

Sämtliche einfachen langen Vokale werden mit - bezeichnet; die unbezeichneten sind als kurz anzusehen. Unbezeichnet bleiben jedoch in der Regel die Vokale vor Doppelkonsonant und Zwiekonsonant, die Vokale der Endungen, deren Quantität aus der Flexionslehre bekannt ist, und die in Phrasen beigefügten Wörter.

A.

ā, ab, abs von, von — aus, her
abaliēno 1. entfremden, abwendig machen
abavus Ururgroßvater
abdicare se consulatu das Konsulat niederlegen
abdo, didi, ditum 3. wegthun, verbergen
abdūco, duxi, ductum 3. wegführen, abziehen
abeo, ii, ĭtum, īre weggehen
abhorreo, ui — 2. zurückschaudern, abgeneigt sein, nicht beistimmen, verschieden sein
abigo, ēgi, actum 3. wegtreiben
abjicio, jēci, jectum 3. wegwerfen
ablēgo 1. wegsenden
abluo, lui, lūtum 3. abwaschen
abripio, ripui, reptum 3. fortreißen, wegschleppen
abrogo 1. aufheben, entziehen, magistratum cui absetzen
abrumpo, rūpi, ruptum 3. abreißen
abruptus abgerissen, steil, abschüssig
abscēdo, cessi, cessum 3. weggehn, s. zurückziehen, weichen
abscondo, condi, conditum 3. verbergen
absens abwesend
absentia Abwesenheit
absolvo, solvi, solūtum 3. loslösen, freisprechen, vollenden
absorbeo, bui, — 2. verschlucken, hinunterschlürfen, aufsaugen
abstergeo, tersi, tersum 2. abwischen, trocknen
abstineo 2. sich enthalten
abstinens enthaltsam
abstinentia Enthaltsamkeit, Uneigennützigkeit
abstraho, traxi, tractum 3. wegziehen, -schleppen
absum, āfui, abesse weg sein, entfernt sein, fehlen
absūmo, sumpsi, mptum 3. hinwegnehmen, verzehren, vernichten; hin-, verbringen
abundantia Überfluß
abunde *adv.* im Überfluß
abundo 1. Überfluß haben
ac, atque und; als, wie
acanthis, idis f. (griech.) Stieglitz
accēdo, cessi, cessum 3. herzu-, heran-gehn, -treten, -rücken, beitreten, hinzukommen
accendo, di, censum 3. anzünden, entflammen, erregen; proelium Kampf anfeuern
acceptus willkommen
accido, cidi, — 3. (zufällig) s. ereignen, widerfahren
accio 4. herbei -ziehen, -rufen, berufen
accipio, cēpi, ceptum 3. an-, aufnehmen, empfangen, bekommen, vernehmen
accipiter, tris Habicht, Falk
acclāmo 1. Beifall rufen

acclīno anlehnen
accola Anwohner
accommodo 1. anpassen, beilegen
accubo — — 1. (an=, bei=) liegen
accumbo, cubui, cubitum 3. sich niederlegen
accūrātus sorgfältig, ernstlich
accurro, curri, cursum 3. hinzulaufen, herbeieilen
accūso 1. anklagen
ācer, cris, cre scharf, bissig, feurig, eifrig
acerbitas Bitterkeit, Härte
acerbus herb, hart, unreif, beißend, schmerzlich
acies, ēi, Schärfe, Spitze, Schlachtordnung, Schlacht, Schlachtfeld
acīnacēs, is krummer Säbel
acquiesco, ēvi, — 3. ausruhen, zur Ruhe kommen
acquīro, sīvi, sītum 3. dazu erwerben
actor Schauspieler
acūleus Stachel
acūmen Schärfe, Scharfsinn
acuo, ui, ūtum 3. schärfen, aufstacheln
acus, us f. Nadel
acūtus spitz, scharf, witzig
ad bei, an, zu; bis, auf; gegen
adamantinus stählern
adamo 1. lieb gewinnen
addīco, dixi, dictum 3. zusprechen, zuerkennen, weihen
addo, didi, ditum 3. hinzufügen
addubito 1. bezweifeln
addūco, duxi, ductum 3. hinführen, herbeiholen, =bringen, veranlassen
adeo, ii, itum, īre c. Acc. und ad hinzugehn, betreten; periculum sich unterziehen
adeo *adv.* bis dahin, so sehr
adf. siehe aff.
adhaereo, haesi, — 2. hangen an, hängen bleiben
adhibeo 2. anwenden, zuziehen, einladen
adhortātio Ermunterung
adhortor 1. anfeuern, antreiben
adhūc bis hierher, bis jetzt, noch
adigo, ēgi, actum 3. antreiben, verpflichten
adimo, ēmi, emtum 3. wegnehmen
adipiscor, adeptus sum 3. erlangen
aditus, us Zugang, Zutritt
adjaceo, ui — 2. daran liegen, wohnen
adjicio, jēci, jectum 3. hinzufügen, hinwenden
adjungo, nxi, nctum 3. verbinden hinzufügen, anschließen, beigeben, gewinnen
adjūtor Helfer, Gehülfe, Beistand
adjūtrix, īcis Helferin
adjuvo, jūvi, jūtum 1. c. acc. unterstützen, helfen, fördern
administrātio Verwaltung
administro 1. verwalten, besorgen, leiten, führen
admīrābilis / admīrandus { bewunderungswürdig
admīrātio Bewunderung
admīror 1. bewundern, s. verwundern
admisceo, miscui, mixtum 2. beimischen, beifügen
admitto, mīsi, missum 3. zulassen, begehen
admodum gar sehr
admoneo 2. ermahnen, erinnern, aufmerksam machen
admoveo, mōvi, mōtum 2. hinbewegen, =bringen, nahe bringen, anrücken lassen, heranrücken
adnato 1. heranschwimmen
adnuo 3. zunicken
adolesco, olēvi, ultum 3. heranwachsen
adorior, ortus sum 4. angreifen, bestürmen, unternehmen, ernstlich versuchen
adsto, stiti, — 1. dabeistehn
adsum (ass.), adfui (aff.), adesse dabeisein, gegenwärtig sein, zur Hand, zur Seite stehn, helfen
adtempto 1. angreifen
adūlātio Schmeichelei
adūlātor Schmeichler

adulescens Jüngling, junger Mann
adulescentia Jünglingsalter
adulescentulus = adulescens
adūlor 1. c. acc. schmeicheln
adulter, i Ehebrecher, Verführer
adulterium Ehebruch
adūro, ussi, ustum 3. an-, verbrennen, versengen, ausdörren; erfrieren machen
adveho, vexi, vectum 3. heranfahren, herzuführen, herbeischaffen, [mitbringen
advena Ankömmling
advenio, vēni, ventum 4. ankommen
advento 1. sich nähern
adventus, us Ankunft, Heranrücken
adversārius Gegner
adversor 1. Gegner sein
adversus, a, um entgegengesetzt; ventus a. entgegenwehend, ungünstig; adverso amne stromaufwärts; adversum tenere entgegen wehen; vulnera adversa (adverso pectore) vorn auf der Brust; ex adverso gegenüber
adversus (um) *praep.* u. *adverb.* gegenüber, wider, gegen
adverto, ti, sum 3. hinwenden
advoco 1. herzu-, herbei-rufen
advolo 1. herbei-fliegen, -eilen
advolvo, volvi, volūtum 3. heranwälzen
aedes, is Tempel, pl. Haus
aedificātio Bau, pl. Bauten
aedificium Gebäude
aedifico 1. bauen, erbauen
aeger, gra, grum krank
aegrē mit Mühe, kaum; aegre ferre übel nehmen
aegritūdo Krankheit, Kummer
aegrōtus krank
aemulor 1. c. acc. nacheifern, neidisch sein
aemulus Nebenbuhler
aēneus ehern
aequālis gleich; gleichalterig, Altersgenoß
aequāliter *adv.* gleichmäßig
aeque auf gleiche Weise, ebenso
aequipero 1. c. acc. gleichkommen, c. dat. gleichstellen
aequitas Billigkeit, Gleichmut
aequo 1. c. acc. gleichkommen, c. dat. od. cum gleichmachen, -stellen
aequor, oris n. Meeresfläche, Meer
aequus gleich, billig, günstig
āēr, āĕris m. Luft
aerārium Schatzkammer, Staatskasse
aereus ehern
aerumna Mühe, Kummer
aes, aeris, n. Erz, Kupfer, Geld
aestimātio Schätzung, Würdigung, Ruf
aestimo 1. schätzen
aestīvus sommerlich
aestuo 1. heiß sein, schwitzen
aestus, us Hitze; Flut
aetas Alter, Zeitalter, Zeit, Leben
aeternitas Ewigkeit, ewige Dauer
aeternus ewig
aethēr, ĕris die obere Luft
affatim hinlänglich
affecto 1. trachten nach
affero, attuli, allātum, afferre her-bei-, mit- bringen, über- bringen, einflößen, anführen, melden; manus af. anlegen
afficio, fēci, fectum 3. anthun, belegen, beschenken; supplicio mit Todesstrafe unter Martern belegen, hinrichten lassen; Pass. befallen werden; supplicio..leiden
affīgo, xi, xum 3. anheften
affīnis verwandt (durch Heirat)
affīnitas Verschwägerung
affirmātio Versicherung
affirmo 1. versichern
afflātus, us Anhauch, Begeisterung
afflicto 1. bekümmern, plagen
afflīgo, xi, ctum 3. schlagen, schwächen, niederwerfen; res afflictae Unglück
affluens reichlich, reich
Africus sc. ventus Südwestwind
agāso, onis Pferdeknecht, Eselteiber
age wohlan!
agellus Äckerchen, kleines Landgut

ager, gri Acker, Gebiet; pl. agri das Land
agger, eris Damm
aggredior, gressus sum 3. gehen an, angreifen, unternehmen
agito 1. heftig treiben, aufjagen, verfolgen, betreiben; mente a. ſ. mit e. Gedanken tragen
agmen, inis Zug, Schar, Heerhaufen
agnosco, agnōvi, agnitum 3. anerkennen
agnus Lamm
ago, ēgi, actum 3. treiben, führen, praedam zuſammentreiben; umhertreiben, jagen; betreiben, thun, epulas halten; handeln, verfahren, verhandeln, lege ag. verklagen; vitam, aetatem hinbringen; in crucem ag. ans Kreuz ſchlagen
agrestis, e ländlich, roh; wildwachſend; Landmann
ājo (ăit) ſage, behaupte; ain' ſt. aisne ſagſt, meinſt du?
āla Flügel, Reiterabteilung
alacer, cris, cre rührig, eifrig, lebhaft, munter
alacritas Rührigkeit, Freudigkeit, feuriger Mut
alauda Lerche
albeo — — 2. weiß ſein
albus weiß; album medium weißes Mittelſtück
āles, itis c. Vogel
algeo, alsi — 2. frieren
aliās ſonſt; al. — al. bald — bald
alibi anderswo
aliēno 1. abgeneigt machen
aliēnus fremd, abgeneigt, ungünſtig, unpaſſend; aes alienum Schulden
alimentum Nahrungsmittel
aliō *adv.* anderswohin
aliquamdiū eine Zeit lang
aliquandō einſt, einmal, zuweilen
aliquantisper *adv.* eine Zeit lang
aliquantum, aliquantulum etwas, ein wenig, ein gut Stück
aliquis; aliqui qua, quod irgend ein
aliquot *adj. indecl.* einige
aliquotiēs *adv.* einige mal
aliter *adv.* anders, andernfalls
aliunde *adv.* anderswoher
alius, a, ud ein anderer; alii — alii die einen — die andern
allatro 1. anbellen
allevo 1. aufheben, aufſchlagen
alligo 1. anbinden
alloquor, locūtus sum 3. anreden
alo, alui, altum 3. nähren, unterhalten
altāria n. pl. tant. Tragaltar
alter, era, erum der andere, der eine (von beiden)
altercor 1. mit Worten ſtreiten
alteruter, alterutra, alterutrum einer von beiden
altitūdo Höhe, Tiefe
altum (sc. mare) d. hohe Meer
alveus Wanne, Flußbett
alvus f. Bauch
ambigo — — 3. unſchlüſſig ſein, ſtreiten
ambiguus ſchwankend, zweideutig
ambio 4. herumgehn, umgeben
ambitio Ehrgeiz, Bewerbung
ambō, ambae, ambō beide
ambulo 1. ſpazieren gehen
ambūro, ussi, ustum 3. verbrennen
āmens ſinnlos, außer ſich, raſend
amiculum Oberkleid, Mantel
āmissus, us Verluſt
amita Tante
āmitto, mīsi, missum 3. verlieren
amnis, is m. Strom
āmoveo, mōvi, mōtum 2. entfernen
amphora Krug
amplector, plexus sum 3. umarmen, =faſſen, ſ. befaſſen mit
amplifico 1. erweitern, vergrößern
amplitūdo Umfang, Größe
amplius *adv.* mehr, weiter
amplus geräumig, weit, groß, voll, ſtark, anſehnlich
amputo 1. abſchneiden, abhauen
amussis, is, f. Richtſcheit, Lineal
an oder (Fragepartikel)
anas, ătis f. Ente
anceps, cipitis doppelköpfig, zweifach,

schwankend, bedenklich, gefährlich, von zwei Seiten in Gefahr (Not)
ancillāris für Mägde passend
ancora Anker
ango, anxi — 3. ängstigen, quälen, [beunruhigen
angor Angst, Unruhe
anguis, is c. Schlange
angustiae, arum Enge, Engpaß, [Meerenge, Not
angustus eng
anima Hauch, Atem, Seele, Geist
animadverto, verti, versum 3. bemerken, beachten
animans, tis beseelt, lebend
animātus gesinnt
animus Seele, Geist, Herz, Mut, Gemüt, Bewußtsein, Zuneigung, Stimmung, Absicht
annecto, nexui, nexum 3. anknüpfen
anniversārius alljährlich
annōna Getreide
annuo, annui, — 3. zunicken
annuus, a, um jährig, auf ein Jahr
ante c. acc. vor
anteā (ante) *adv.* vorher
antecēdo, cessi, cessum 3. (cui od. quem) vorangehen, -eilen, Vorsprung haben, übertreffen
anteeo, ii, itum, īre c. Dat. u. Acc. vorangehen, übertreffen
antefero, tuli, lātum, ferre vorantragen, stellen über, vorziehen
antepōno, pŏsui, pŏsitum 3. setzen vor, voransetzen, vorziehen
antequam eher als, bevor
antesto, steti — 1. voranstehen, den Vorrang haben vor
antīquitas Altertum, hohes Alter
antīquitus Adv. in alten Zeiten
antīquus alt; nihil antiquius habere nichts für wichtiger halten
ānulus Ring
anus, us alte Frau, hochbejahrt
anxius ängstlich, verzagt
apage fort!
aper, apri Eber
aperio, ui, rtum 4. öffnen, offenbaren
apertus offen, frei
apparātus, us Zurüstung, Gerätschaften; Glanz, Pracht
appāreo 2. erscheinen, s. zeigen
appāret es leuchtet ein, ist klar
apparo 1. zubereiten, rüsten
appello 1. nennen, ernennen, rufen
appello, puli, pulsum 3. herantreiben, landen (classem mit der Flotte)
appeto, petīvi, petītum 3. erstreben, trachten nach, losgehen auf, herannahen
applico 1. anschließen, anlegen, nähern, lehnen
appōno, pŏsui, pŏsitum 3. hin-, vor-setzen, beigeben
apporto 1. herbeibringen
apprehendo, di, sum 3. ergreifen
approbo 1. billigen, beweisen
appropinquo 1. s. nähern, nahe be- [vorstehn
aprīcor 1. s. sonnen
apto 1. zurechtmachen
aptus passend, befestigt, geeignet
aquilo Nordwind
arbiter, tri Schiedsrichter
arbitrium Spruch des Schiedsrichters, Entscheidung, Gutdünken, Gut- [achten, Macht
arbitror 1. meinen
arcānum Geheimnis
arceo, ui — 2. einschließen, abhalten
arcesso, īvi, ītum 3. herbei-holen, [-rufen
archōn, ŏntis Archont
arcus, us Bogen
ardeo, arsi — 2. brennen
ardor Brand, Feuer, Kampfbegier
arduus steil, schwierig
arēna Sand, Kampfplatz; arenae [Sandwüste
argenteus silbern
argentum Silber
argumentum Beweis, Inhalt
arguo, ui — 3. beschuldigen, über- [führen
āridus trocken
ariēs, ĕtis Widder
arma, orum Waffen
armamaxa, ae bedeckter Reisewagen

armatūra Bewaffnung
armentum Pflugvieh
armiger, era, erum waffenführend,
armo 1. bewaffnen [Waffenträger
aro 1. pflügen
arrīdeo, si, sum 2. dabei lachen
arrigo, rexi, rectum 3, gerade auf-
richten; spitzen
arripio, ripui, reptum 3. an s. reißen
arrogo 1. s. anmaßen
ars, tis Kunst, Wissenschaft; Eigen-
schaft
artifex, icis Künstler, Handwerker
artificium Gewerbe, Verrichtung
artus, us Gelenk, Glied
artus, a, um eng
arvum Ackerland, Flur
ascendo, scendi, secensum 3. empor-
steigen, besteigen
ascisco, scīvi, ītum 3. herbeiziehen,
aufnehmen
ascrībo, psi, ptum 3. hinzuschreiben,
asellus Eselchen [-fügen
aspectus, us Anblick
asper, era, erum rauh, hart
asperitas Rauheit
aspergo, si, sum 3. bespritzen, be-
flecken
aspernor 1. verschmähen, abweisen
aspicio, spexi, spectum 3. an-, er-
blicken, blicken auf, betrachten
asporto 1. weg-tragen, -bringen
assentātio Schmeichelei
assentātor Schmeichler
assentior, sensus sum 4. beistimmen
assentor 1. schmeicheln
assequor, secūtus sum 3. erreichen,
erlangen, einholen
asser, eris Stange
asservo 1. aufbewahren, hüten
assideo, sēdi, sessum 2. sitzen bei
assīdo, sēdi, sessum 3. s. nieder-
assiduus fleißig, beständig [lassen
assisto, astiti — 3. dabei stehen, s.
hinstellen, hintreten
assuētus gewohnt

assūmo, sumpsi, sumptum 3. hin-
zu-, aufnehmen
astringo, strinxi, strictum 3. straff
anziehen, fest binden, fesseln,
starr od. steif machen
asȳlum Asyl, Zufluchtsstätte
at aber, aber doch
athlēta Athlet, Fechter
atque und; als
atquī aber doch, nun aber
atrox, ōcis furchtbar, trotzig,
attamen jedoch
attendo, di, tum 3. auf etw. span-
attentus aufmerksam [nen, richten
attineo, tinui, — 1. betreffen
attingo, tigi, tactum 3. berühren,
attollo — — 3. erheben [erreichen
attribuo, ui, ūtum 3. zuteilen
auctor Urheber, Stammvater, An-
stifter, Anrater, Gewährsmann,
Quelle
auctōritas Anraten, Ansehen, Aus-
audeo, ausus sum 2. wagen [spruch
audio 4. hören; in qm. Schlechtes
von jemand sagen hören; male
schlecht von sich sprechen hören,
in schlechtem Rufe stehen
audītor Zuhörer
aufero, abstuli, ablātum, auferre
wegbringen, nehmen
aufugio, fūgi, — 3. davon fliehen
augeo, auxi, auctum 2. vermehren,
vergrößern, verstärken; Pss. wach-
augur, uris Zeichendeuter [sen
augurium Vorhersagung, Wahrzeichen
auguror 1. wahrsagen, weissagen
augustus ehrwürdig, heilig
aura Lufthauch
aurātus vergoldet
aureus golden
auricula Ohrläppchen
aurīga Fuhrmann
auris, is Ohr
aurītulus Langohr
aurum Gold
ausculto 1. zuhören

auspicium Vogelschau, Vorbedeutung, Wahrzeichen, Anführung
auspicor 1. unter Wahrzeichen beginnen
Auster, stri Südwind
autem aber
auxiliāres, ium die Hülfstruppen
auxilior 1. Hülfe leisten
auxilium Hülfe, pl. Hülfstruppen
avarus, a, um geizig, habsüchtig
āvello, velli, vulsum 3. losreißen
āverto, verti, versum 3. abwenden, fernhalten
avicula Vögelchen
avidus begierig
aviditas Begierde
avītus großväterlich
avius abgelegen
avolo 1. wegfliegen
avunculus, i Onkel (mütterlicherseits)
āvus Großvater
āxis, is m. Achse, Brett

B.

baculum Stab. bacillum Stöckchen
balneae, arum Badehaus
barbarus ausländisch
barbātus bärtig (Langbart)
basis, is, f. Fußgestell, Postament
beātus glückselig, wohlhabend
belle *adv.* hübsch
bellicōsus kriegerisch
bellicus Kriegs=; res bellica Kriegswesen
bello 1. Krieg führen
bellus, a, um hübsch
bēlua (bellua) Tier
bene *adv.* zu bonus
benedīco, dixi, dictum 3. c. dat. gut sprechen, segnen
beneficentia Wohlthätigkeit
beneficium Wohlthat
benevolentia Wohlwollen
benevolus wohlwollend
benignus gütig
benignitas Güte
bēryllus meergrüner Edelstein
bestiola Tierchen; bestia Tier
bibo, bibi — 3. trinken
biduum Zeitraum von 2 Tagen
biennium Zeit von 2 Jahren
bīni, ae, a je zwei
bis zweimal
bitūmen, inis Erdpech
blandīmentum Schmeichelei
blandior 4. schmeicheln
blanditia Liebkosung
blandus einschmeichelnd
bonitas Güte, Rechtschaffenheit
boreas, ae m. Nordwind
bos, bovis Rind
bovīle, is n. Rinderstall
brāchium Arm, Unterarm
brevis kurz; brevi in kurzer Zeit
brevitas Kürze
bubulcus Rinderhirt, Ochsenknecht
būcina Horn

C.

C. = Gajus
cacūmen, inis Gipfel
cadāver, eris n. Leichnam
cado, cecidi, cāsum 3. fallen, ausfallen
caeco 1. blenden
caedes, is Mord, Gemetzel, Niedermetzelung
caedo, cecīdi, caesum 3. fällen, abhauen, schlagen, niederhauen, töten
caelebs, ibis unverheiratet
caelo 1. meißeln, auslegen
caelestis himmlisch, göttlich
caelum Himmel, Klima, freie Luft
caenum Schmutz
caerimonia heilige Scheu, Ehrfurcht, Ceremonie
caeruleus dunkelblau
caespes, itis m. Rasen
calamitas Unglück
calamus m. Rohr
calcar, āris n. Sporn
calceus Schuh
calculus Stein im Brettspiel
calidus warm, heiß
cālīgo, inis Dunkelheit
callidus schlau
callis, is m. Fußsteg

cālo, onis Troßknecht
calor Wärme
calx, cis Ferse
camēlus, i Kamel
campester, tris, tre auf ebenem Felde,
campus Feld, Ebene [eben
candeo, ui — 2. schimmern, glühend
candidus glänzend weiß [heiß sein
cānities, ēi graues Haar
cano, cecini, — 3. singen; tibiis Flöte spielen, receptui zum Rück-
canto 1. singen [zuge blasen
cantus, us Gesang, Melodie
capax fassend, fähig, geräumig
capesso, capessīvi, ītum 3. ergreifen, anfangen, betreiben, rem publicam die Leitung des Staates, die politische Laufbahn ergreifen; pugnam beginnen, übernehmen, in den
capillus Haupthaar [Kampf gehn
capio, cēpi, captum 3. fassen, fangen, ergreifen, nehmen, gefangen nehmen, einnehmen, für sich einnehmen, erobern, überlisten
capitālis, e Haupt-, tödlich
capra Ziege
captīvitas Gefangenschaft
captīvus gefangen
capto 1. haschen, schnappen
caput, itis n. Kopf, Spitze, Hauptteil, -stadt, Oberhaupt, Leben, Todesstrafe
carbasus f., Pl. auch carbasa feiner Flachs, Batist
carcer, eris Kerker, Schranken
cardo, inis m. Thürangel
carduus m. Distel
careo 2. entbehren, nicht haben, frei (fern) sein, keinen Gebrauch machen
cāritas Teuerung
carmen, inis Lied, Gedicht
caro, carnis f. Fleisch
carpentum zweirädriger Wagen
carpo, psi, ptum 3. rupfen, pflücken
caruncula Stückchen Fleisch
cārus teuer, lieb

casa Hütte
cāseus Käse
(cassis) casses, ium m. Jägergarn
cassīta Haubenlerche
castellum Festung, festes Schloß
castīgo 1. züchtigen, schelten
castra, orum n. Lager; Tagemarsch; c. facere zu Felde ziehen, sich lagern; movere vorrücken
cāsus, us Fall, Zufall, Anfall,
catēna Kette [Schicksal, Unglück
caterva Haufen
cathedra Armsessel (mit Fußtritt)
catulus Hündchen
cauda Schwanz
Caudex, icis = Baumstamm, ein daraus gemachtes Schiff
caulis, is m. Stengel, Kohl
caupo Schenkwirt
causa Ursache, Grund, Angelegenheit; Klage (Anklage), causam dicere (agere) Proceß führen, sich
causā c. gen. wegen [verteidigen
cautus vorsichtig
cavea Käfig
caveo, cāvi, cautum 2. s. hüten
cavillor 1. necken, scherzen
cēdo, cessi, cessum 3. weichen, weggehn, nachgeben, ablaufen; anheimfallen
cĕdo gib her! her mit . . .!
cedrus f. Ceder, Cedernholz
celeber, bris, bre gefeiert, berühmt, viel besucht
celebritas Feier, zahlreicher Besuch
celebro 1. feiern, rühmen, oft od. zahlreich besuchen
celer, eris, ere schnell
celeritas Schnelligkeit
cēlo 1. c. acc. verheimlichen, celor
celsus hoch [man verheimlicht mir
cēna Mahlzeit (Mittagsmahl)
cēno 1. speisen; cenatus der gegessen hat, nach der Mahlzeit
censeo, censui, censum 2. meinen, bestimmen, stimmen für

censor Censor, Sittenrichter
centurio Hauptmann
cēra Wachs
cerno, —, — 3. sehen
certāmen Streit, Wettstreit, Kampf, Entscheidung
certātim eiligst, wetteifernd
certe sicherlich, wenigstens, jedenfalls
certo 1. wettstreiten
certus sicher, zuverlässig, bestimmt, entschlossen; certiorem facere benachrichtigen
cerva Hirschkuh, Hindin
cervix, īcis gw. Plur. Nacken, Hals
cesso 1. aufhören, zögern
cēteri, ae, a übrige, andere
cēterum übrigens
Chaldaei Sternkundige, Wahrsager
chīliarchus Oberster, Staatskanzler
chlamys, ydis f. Kriegsmantel
chorda Saite
cibāria, orum Lebensmittel
cibus Speise, Futter
cicātrix, īcis Narbe
cicōnia Storch
cicur, uris zahm
cidaris, is spitzer Turban der Perser
cieo, cīvi, citum 2. erregen
cingo, cinxi, cinctum 3. umgürten, umgeben, einschließen
cinis, eris Asche
circa u. circum um, umher, ringsum, in der Umgegend, bei
circiter ungefähr
circuitus, us Umfang, Umweg
circulus Kreis, Versammlung
circumdo, dedi, datum 1. umgeben legen um, herumstellen, herumziehen
circumdūco, duxi, ductum 3. herumführen
circumeo, ii, ĭtum, īre herumgehen, umgehen, umzingeln
circumfundo, fūdi, fūsum 3. umgießen; *pass.* umgeben, umdrängen
circumlino, —, litum 3. bestreichen
circumnāvigo 1. umschiffen, -segeln
circumpendeo 2. herumhangen
circumsaepio, saepsi, ptum 4. umgeben
circumsisto, steti — 3. umstehen
circumspicio, spexi, spectum 3. s. umsehen nach, überlegen
circumvehor, vectus sum 3. herumfahren, -reiten
circumvenio, vēni, ventum 4. umringen, (umgarnen) täuschen
circumvolvo, volvi, volūtum 3. umwickeln
circus Kreis, Rennbahn
cis u. citra diesseits
citharista Citherspieler
cito 1. beschleunigen, herbeirufen, vorladen
cīvīlis bürgerlich
cīvis, is c. Bürger, Mitbürger
cīvitas Bürgerschaft, Staat, Stadt
clādes, is Schaden, Niederlage
clam heimlich (vor)
clamo 1. schreien. clamor Geschrei.
clandestīnus geheim
clārus hell, berühmt, angesehn
classiārii, orum Seeleute
classis, is Flotte
claudico 1. hinken
claudo, clausi, clausum 3. schließen, einschließen
claudus lahm
claustrum Riegel, Schloß, Bollwerk
clāva Keule
clāvus Nagel
clēmens milde
clēmentia Milde, Menschlichkeit
clepo, clepsi, cleptum 3. stehlen
clīmax, ăcis Steigerung
clipeātus mit e. Schilde versehn; *subst.* Schildträger
clipeus der Schild
clītellae, arum Sattel
Cn. = Cneus, Gnaeus
coagmento 1. zusammenfügen
coalesco, alui 3. zusammenwachsen
coarguo, ui, — 3. anklagen
coëo, ii, ĭtum, īre zusammengehen, kommen, s. verbinden, verbünden
coepi, coepisse angefangen haben

coërceo, ercui, ercitum 2. in Schranken halten, bändigen
coetus, us Zusammenkunft
cōgitātio Gedanke
